
DANIELIS GEORGI MORHOFI

CELEBERRIMI POLYHISTORIS

COLLEGIUM EPISTOLICUM,

QVOD EQVIDEM,
CUM IN VIVIS ESSET,
STUDIIS TANTUM
PRIVATIS
AUDITORUM SUORUM
DESTINAVIT,
JAM VERO OB SUMMUM
VARIUMQVE,
QVEM
ADULTIS ÆQVE AC JUNIORIBUS
IN HOC SCRIBENDI GENERE
PRÆSTARE POTEST,
USUM,
PUBLICA LUCE DONATUM.

LIPSIÆ,
Apud HÆREDES LANCKISIAN.
ANNO M. DC. XCIII.



LIBRI PRIMI

CAP. I.

De
[C]ensura Epistolographorum Veterum & Recentiorum.

PRæcepta qvædam de Epistola scribenda tradituri, id operam dabimus, ne acta agamus, aut aliorum scripta compilemus, aut qvæ magno numero & [...]dicta ab aliis sunt congeramus: [...]Rhetorum scholis petere debe[...] non accoqvemus, cum ipso usu [...] qvam diffusis præceptionibus [...]discantur. Qvæ ab EPISTOLO[...]IÆ ARTIS Scriptoribus vel o-

missa

missa vel negligenter tractata præcipuè sectabimur, singularia scilicet illa, qvæ tum ad epistolam scribendam acqviruntur (habet enim ut omne scribendi genus, ita & epistolicum aliqvid ab oratorio diversum) tum ad judicium de Scriptoribus epistolographicis formandum facere possunt. *De Definitione, Divisione, materia, forma epistolæ legantur Rhetorum libri*, nos ex usu discemus. Initium itaqve nunc faciemus ab ipsis *Epistolarum Scriptoribus* de delectu inter illos servando indicaturi; frustra enim erit usus & exercitium nisi idoneos seqvamur Magistros. Non desunt inter Græcos autores epistolographi sed pauciores, qvorum tamen literas omnes singulari libro collegit ALDUS MANUTIUS, qvi VENETIIS prodiit. Nonnullæ earum, eæ præcipuæ, qvæ Laconicæ ob brevitatem appellantur, in latinam lingvam cõversæ apud OPERINUM *Basileæ editæ sunt à Buchlero*; collectæ etiam aliqvæ *in Atticis Bellariis* à IACOBO PONTANO. Sed Græci autores ad nostrum institutum jam

jam adeò non faciunt, prodesse autem possunt, qvi è Græcis artem scribendi epistolas reliqverunt, ut *Demetrius Valerius*, cujus præcepta suæ institutioni epistolicæ inseruit *Lipsius*, *Libanus*, qvi cum aliis qvibusdam editus est apud Oporinum. Gregorius Nazianzenus in cujus epistolam, de scribenda epistola, doctè commentatus est ADAMUS THEODORUS SIBERUS. THEMISTIUS de charactere epistolico. EPIPHANII *liber de charactere epistolæ manuscriptus* & in Bibliothecam Galliæ Regis transportatus. Inter *recentiores* habemus Budæi *epistolas Atticas* singulari venustate scriptas, Parisiis in qvarto editas, si rectè memini, à Stephano. Inter *Latinos* principem locum disertissimus ille Romuli Nepotum tenet CICERO, cujus habemus Epistolas ad *familiares*, *ad Atticum*, *ad Q. Fratrem*, *ad Brutum*, tum civili sapientia plenissimas, tum ad amussim genuinæ eloqventiæ factas, è qvibus eas, qvæ ad Atticum missæ sunt, rectius familiares fuisse nominatas Viri doctissimi censent. Cum

earum plerasqve videatur eo ſermonis genere ſcripſiſſe, qvo ipſe domi utebatur, vel certè non admodum diverſo, ut judicat CASELIUS *de Ludo literario rectè aperiendo*, qvi in juvenum gratiam familiares illas epiſtolas diligendas ſvadet ex omnibus Ciceronis epiſtolis, hoc eſt, qvæ familiari ſtylo ac epiſtolis proprio ſcriptæ ſunt. Nam certè Epiſtolæ ad familiares, ut LUDOVICUS VIVES putat, non eo ſermonis genere conſcriptæ ſunt, qvo domi utebatur CICERO, in multis enim ſelectiſſima ſunt argumenta, ſelectis etiam verbis tractata, ſcriptæ ad reipublicæ Romanæ viros principes, ac indicat facile ipſe numerus ac periodorum menſura curam illam, qvæ non adeo reperitur *in Epiſtolis ad Atticum*, ubi multa ſunt abrupta & hiantia. De præſtantia Epiſtolarum Ciceronis *ſingularem Diſſertationem* JACOBUS PONTANUS ſcripſit, qva Ciceronis elegantiam contra Novatores nonnullos, ERASMUM, POLITIANUM *& Belgam qvendam anonymum defendit*, monſtratqve qvam in omni

epi-

epiſtolarum genere, qvod adeo multiplex & varium eſt, unicè triumphet CICERO. Nam & rebus accommodare argumenta argumentis elocutionem, elocutioni numeros & decentem illam copiam novit, ut qvi ſimile præſtiterit, è tota antiqvitate inveniatur nemo. Ipſo SENECA TESTE compoſitio Ciceronis una eſt, pedem ſervat curata, lenta & ſine infamia mollis. Sed & ipſe in ſtylo interdum varius eſt, ſcripſit enim nonnulla juvenis qvæ Senex improbavit, cujus exempla affert Sebaſtianus Conradus in Qvæſtura ſua libro elegantiſſimo in qvo tota Ciceronis vita refertur. De vario Epiſtolarum Ciceroniarum genere Commentarium HENRICUS STEPHANI edidit laborioſum nec indoctum ſed ſunt pleraqve ejus viri non magno judicio ſcripta. ERASMUS contra qvem diſſerit PONTANUS *in laudata Diſſertatione* junior adhuc qvædam ſcripſit non tam contra Ciceronem qvam malos Ciceronis imitatores, in Dialogo cui Ciceroniano nomen fecit.

 Non

Non potuit enim ferre homo perſpicaciſſimus *Longolium* aliosqve homines ineptos ſe efferre Ciceronianorum nomine, qvaſi illi ſoli latinè loqvi ſcirent, reliqvi omnes barbaro ore creparent, cum illi vim imitationis Ciceronianæ neutiqvam intelligerent. Centonum potius fartores qvam veri imitatores, qvorum fœtus, ut judicat *Vir doctus*, Ciceroni non ut homo homini, ſed ut ſimia ſimiæ ſimiles eſſent; Sed fervore Diſputationis abreptus, qvædam licentius in *Ciceronem* dixit, quorum tamen poſtea pœnituit; Nam ipſe non ſemel temeritatem ſuam accuſat, cauſa tamen nulla erat, qvæ commovere *Julium Cæſarem Scaligerum* ad tam acerbas declamationes poſſet, qvas *Eloqventiæ Romanæ* Vindices appellat, in qvibus miris modis lacerat Eraſmum ſed & ipſum ſuæ acerbitatis pœnituit, qvam in videndo elogio in mortem ejus conſcripto expiavit, at filio ejus teſte in *excerptis Scaligerianis* ſuppreſſæ ſunt illæ orationes aliaqve qvæ contra Eraſmum ſcripſerat Pater.

Fa-

Factum tamen hoc scripto fuit ut ERASMI Epistolæ vel ante ipsum Ciceronem commendarentur & legerentur, qvemadmodum & *Angli Politiani*, qvi & ipse Ciceronis imitationem despexit, exagitatus propterea à *Jacobo Pontano in laudata Dissertatione*, qvo in errore hæsitasse qværitur alicubi PAULUS MANUTIUS, gratiamqve agit BUNELLO Præceptori suo qvod se cum *Politianis & Erasmis*, nescio qvibus, errantem in rectè scribendi viam reduxerit; Sed vetus ille error est, & qvod olim Qvintilianus de Scholasticis dicebat, neminem inter illos fuisse, qvi non sibi persvaderet, se ante *Ciceronem* numerari debere, id hodie hominibus nonnullis etiam accidit, *Scholasticis præcipuè & Pædagogicis ingeniis* parum in usu dicendi exercitatis. Viri etiam docti ingeniosi si aliam viam instituerint, ut sunt hominum ingenia varia, facile abripiunt in suum errorem alios, qvi cum gloria illos titillet, non obloqvuntur Vulgi judicio. *Lipsius* qvanqvam Ciceronem magnis laudibus eve-

hat, passim tamen in Ciceronis imitatores declamat, nec mirum hoc videri debet, cum nuper adeo exortus fuerit aliqvis, qvi non ut totum sermonem Gallicum, ita qvamcunqve etiam epistolam omnibus Ciceronis epistolis anteponat. Non injuria itaque *Fridericus Wawasser Lib. de Epigrammatibus p. 163. Robertum Constantinum* reprehendit, qvi in *Lexico suo Græco-latino Budæi Epistolas* ad lectionem commendat, ac *Justum Lipsium* qvi in Epistolis *Anglum Politianum Ciceroni & Plinio* socium adjungere voluit. De Variis Epistolarum Ciceronianarum Commentatoribus legi potest *Spachius in Nomenclatore Philosophico*, Legi etiam potest *Oratio Mureti XVI, Lib. 2.* qva Vir ipse elegantissimus ostendit Epistolarum Ciceronis præstantiam. Si qvis legere velit Ciceronis Epistolas, ut Sermonis latini proprietatem addiscat, illi ducem svadeo ut adhibeat *Anthonium Scorum de docenda discendaqve Lingva Græca & Latina.* Ex toto enim Grammaticorum numero vix unum novi

vi qvem commendare præ cæteris possim, in Lingva Latina cujus proprietatis intelligentia vehementer eam ob caussam laudatur *Wawassori Libro de Epigrammat.* Eo in libro Ciceronis Epistolas sibi proponit atqve ex iis observationes instituit Latinæ lingvæ, qvæ in mentem aliis venirent. Post Ciceronem in Latina Ligva *Plinii Junioris Epistolæ* omne punctum ferunt, qvæ adeò nonnullis placuerunt, ut vel ipsi Ciceroni anteponant, in qvo tamen illos errare certum est. Rectè de illo LUDOV. VIVES: *Plinius succinctus & festivus, facetus & acutus, & freqvens concinnis sententiis, Doctis & acutis ingeniis mirificè est aptus, qvi Scholasticas inter se mittunt epistolas & umbraticas, qvibus oportet, plus ornatus & condimenti adjungi, qvando rebus perinde non nituntur.* Nam certè non elucet in rebus tanta varietas, tantus orationis splendor qvam in Ciceronis epistolis de rebus gravioribus ad Viros Principes scriptis. Sed nostro tempore adeò delectavit *Dictio Pliniana* nonnul-

los, præcipuè inter Belgas, ut normam dicendi ſibi proponant. A plerorumqve Belgarum ſcriptis exulat ille numerus ac juſta illa Sermonis copia qvam in Cicerone deprehendimus. Argutiæ verò breves periodi, numerus non valdè qvæſitus, ſententiis hinc inde & dicteriis Græcis & latinis conſperſa, ac penè obruta dictio. Cum enim Epiſtolæ ad familiares & viros eruditos de rebus Scholaſticis ſcriberentur, non adeò fortaſſis abſurda erat hæc ſtyli affectatio, qvæ tamen in vitium incurrit, ſi ad viros graves, Principes in re ſeria & deliberanda argumentis hoc modo ſcripſeris. SENECA Libros ſcripſit non Epiſtolas. Inepti itaqve, qvi illum imitandum ſibi proponunt, ac Epiſtolas ſcripturi neſcio qvas declamatiunculas ſcribunt, qva in re peccat *Crucius, Senecæ, Lipſii, Baudii* an imitator an compilator? TERTULLIANUS multum africitatis habet judice LUDOV. VIRE, aſper enim eſt & verbis monſtroſus. CYPRIANUS mollior aliqvantò, qvam ejus Gentilis, uti & AUGUSTINUS,

ſed

ſed minus terſus ac comptus. *Hieronymus* ardens & vehemens, ut videatur ſæpè ad judices dicere de cauſu capitali. *Ambroſius* lenior & placidior. *Symmachus* ſui ſeculi propè eſt habitus Cicero, ſed mirum qvantum diſtat *ab Arpinate* iſto: ejus Epiſtolæ editæ ſunt ex recenſione *Leſtii & Mureti*. Extant & in eundem *Scioppii* qvædam obſervationes in ſuis veroſimilium libris. *Sydonius Apollinaris* Gallicum & Barbaricum aliqvid redolere videtur *Dialogo 5. de Poëtis*, qvem tamen *Barthius* poſt *Claudianum* pro optimo Poeta habet; ipſe non ſatis accuratus eorum cenſor. Epiſtolas ſcripſit ſtylo obſcuro & perplexo, multum trahentes ab infectione illorum temporum, in qvas tamen extant commentarius doctiſſimus *Savarronis*. Cœterum in Carmine (qvod & obſervavit *Lud. Vives de tradendis diſciplinis lib. 3.*) non adeo reprehenditur orationis moleſtia, qvam in proſa; Numerus enim illam vel operit vel ſuſtinet. *Caſſidorus* Gothica Stribligine totus plenus eſt, cujus ab

imitatione omnes elegantiæ Studiosi excludendi sunt. Post illa tempora magno intervallo velut stella inter densissimas tenebras emicuit *Franciscus Petrarcha*, qvi tamen multum trahit ex rubigine ac situ temporum suorum. Multo post primus in Italia aliqvid Latine balbutire cœpit *Casparinus*, cujus Epistolas *Lud. Vives* laudat, qvod in seculo Doctorum primæ sint habitæ. Huic succedunt *Leonhardus Aretinus* parum etiam cultus, & *Philelphi duo, pater & filius*, sententiis inanes & frigidi. *Possius* qvem garrulum & nugatorem vocat *Vives*. *Æneas Sylvius, Pius Pontifex, Campanus, Sabellicus, Pomponius Lætus*, de quibus judicia *vide Ludov. Vivis in instit. Epistolica*. *Anglus Politianus*, qvem *Scaligerus in excerptis Puteanis* dicebat, primum sui temporis caput extulisse in literis *Ludovici Vivi* acumine, & festivitate amabilis, nisi qvod laudis nimia cupiditate supra Epistolæ limites assurgit. Ludit ille non raro & lascivit, multus est in materia minuta sui ostentator,

& dum selectas qvasdam vel voculas vel dicendi formulas qvasi gemmas avet ostentare, longius circumducit Lectorem tum verbis tum sensibus orationem onerans qvam erat opus. (vid. *Ludov. Vivem de tradendis disciplinis L.9. p. 319.*) *Hermolaus*, cujus Epistolæ Politianis Epistolis mixtæ, durus est & qvoddam styli genus affectavit ex obsoletis & recentibus vocabulis mistum. *Petrus Bembus Italus*, qvi, si credimus *Johanni Casæ* in vita ejus ab illo scripta, ad verum sermonis Romani genium aliqvid scribere cœpit. Jacebant tum *Cicero, Cæsar ac Autores illius ætatis aureæ.* Solus ille illorum pretium reduxit, atqve Ciceronianum aliqvid stylo expressit, præter enim *Politianum*, qvem *Joh. Casa* minus dulcem ac minus elegantem vocat, nemo erat etiam ex illis, qvos nominavimus, laude aliqva styli dignus. Magnifaciendus itaqve iste Autor est ob honorificum adeò testimonium *Johannis Casæ*, Romanæ lingvæ peritissimus artifex, ut hodieqve ejus scripta utut

 pau-

pauca, magni æstimentur Italis. *Rudolphus Agricola* vir doctissimus paucas scripsit Epistolas, qvæ operi ejus inseruntur, non illas qvidem indoctas, sed, *Ludov. Vivis* judicio, in multis emendandas. Nam si ipse sua emendasset, cum maximis qvoqve veterum potuisset comparari. *Marsilii Ficini* Epistolæ rudi stylo de rebus Philosophicis agunt. *Thomas Morus* magnæ autoritatis vir ac magnæ eruditionis, epistolas aliqvas scripsit, qvæ inter opera ejus reperiuntur, non qvidem adeò accuratè ad genium Lingvæ Romanæ scriptæ, sed qvæ tamen laudem nitidi sermonis affectabant, eo præsertim tempore, qvo superata barbariè nova lux literarum effulgere cœpit, tum proludis & jocis habiti scriptores Barbari ac perpetua inter illos & eruditos bella, qvorum felicissimus propugnator fuit *Erasmus Roterodamus*. Barbarorum hominum stribliginem eleganter depinxit *Uldavicus Hutterus Eqves Nobilissimus in Epistolis obscurorum Virorum*. Is enim verus earum autor est.

Era-

Erasmi epiſtolis nihil eſt ſvavius & acutius, latinitas in illis non mala, non qvidem talis, qvam ad imitandum qvis ſibi proponere debeat (hic enim antiqvi ſcriptores omne ferant punctum) ſed mediocris, nativa, extemporalis & interdum aliqvem ex rebus colorem trahens, qvod interdum accidit Scriptoribus doctiſſimis *Grotio*, *Salmaſio* & aliis. Illi enim Autores prout res ſunt, qvas tractant, prout Autores ſcribunt, à qvorum lectione recentiores recedunt, ſtylum ſuum formare ſolent. Id enim velim notet hic aliqvis, viros doctos, qvi multos Autores legunt, cum cura eos emendant, aut multam ſcriptoribus Philoſophicis impendunt operam vel medii ævi autores diligentius legunt, plerumqve ab illis aliqvid vitii trahere, nec accuratè adeo ſcribere, qvam eos, qvi unum eundemqve optimum *Ciceronem* ſcilicet ſibi imitandum proponunt. Qvemadmodum enim qvibus cum variis gentibus commercium eſt, lingvæ nonnunqvam inqvinari ſolet, ita & hic fieri

fieri consvevit cum scriptoribus Barbaris vel non accuratè latinis familiarius conversantibus. Eam causam fuisse existimo qvod *Barthius* diligentissimus medii ævi scriptorum lector & emendator, nihil tam in soluta qvam ligata oratione scripserit, qvod elaboratum esset. *Grotius* qvoqve, ut ipse fatetur in præfat: Pœmatum suorum, in stylo varius est. Jam enim Virgilianum aliqvid, jam *Statianum* aut *Claudianum* aliqvid inserit Carminibus suis. In Prosa etiam vehementer variat; In Libris Philosophicis interdum Barbarismos admittit & Philosophorum Scholasticorum lingva loqvitur. In *Historia Tacitum* non infeliciter exprimit, in *Epistolis Plinium*. *Salmasio* nonnunqvam Solœcismi exciderunt Cæterum Erasmi Epistolæ propter rei literariæ multiplicem cognitionem legendæ & velut ad LL. CC redigendæ sunt. *Plenissima Epistolarum Erasmicarum Editio Londinensis est*, sed supersunt adhuc ineditæ non paucæ, ac qvinqvaginta earum inter

MSCta

MSCta ſua ſervat Clariſſimus *Gudius Conſiliarius Principis Holſatiæ.* Solent illis jungi *Melanchtonis* Epiſtolæ, qvæ tamen potius ob rerum notitiam qvam ob ſtylum legendæ ſunt, qvanqvam ille tamen ſimplex ſit, purus inaffectatus ac ſuo tempore inter exempla boni ſtyli, ſtylus Philippicus habitus fuerit, ut docet *Taubmannus in Diſſert. de Latina Lingva.* Adducitur etiam Mori & *Ludov. Vivis* Epiſtolæ perpaucæ. *Joachimi Camerarii* viri doctiſſimi epiſtolæ eleganter ſcriptæ, ac paulo altius ſurgunt qvam Melanchtonis. Vixit circa id tempus etiam *Aonius Palearius* cujus editæ ſunt Orationes & Epiſtolæ, qvæ feliciter adeò exprimunt Ciceronem tum qvoad dictionem tum qvoad numeros, ut dubitem an præferendus illi aliqvis. Prima editio Baſileenſis *eſt in octavo*, altera Bremenſis qvam procuravit *Matthias Martinius* in uſum Scholæ Bremenſis. Paucis, qvod miror! etiam viris doctis & acerrimis latinitatis cenſoribus cognitus iſte Autor fuit, ſed meretur profecto inter præcipuos

puos numerari. Hic mihi discrimen qvasi imitationis videtur. Nam longè aliter sonat qvod Palearius scribit quam Longolius & alii inepti Ciceronis imitatores. De Longolio videatur judicium *Ludov. Vivis* in Instit. Epistol. *Nimia cura imitationis*, inqvit ille, *bonam naturam corrumpit, verba habet Ciceroniana mira religionisne an superstitionis observatione, Budæus* vario & diversissimo genere præstans *Lud. Vives* illi novum qvoddam & inusitatum dicendi genus attribuit, qvod sit admirari qvam imitari promptius. *Julii Cæsaris Scaligeri* Epistolæ magno impetu & spiritu scriptæ argutæ & satis latinæ. Ejus epistolæ & orationes aliqvot post mortem ejus editæ. *Rogerius Asdravius*, Anglus, qvi Reginæ Elisabethæ fuit à latinis epistolis, cujus epistolas *Thuanus* elegantissimè scriptas judicat, ferè unus è Gente Anglica est, cujus stylus veterem latinitatem sapit. Cum *Johanne Sturmio* singularem coluit amicitiam, cujus exemplo erectus elegans dicendi genus secta-

fectatus eſt. Ac fuit ipſe *Sturmius* vir eruditiſſimus non Rhetor tantum optimus, ſed & cujus epiſtolæ, qvod feliciter Veteres Autores exprimeret ſtylo ſimplici ac puro, in pretio haberi merentur. *Petrus Victorius* in Epiſtolis usqvè ad ſuperſtitiônem Latinus, de qvo id Thuanus, qvod longæva ætate id conſecutus fuerit, ut literas in Italia renaſcentes & penè extinctas viderit. Ejus epiſtolæ plerumqve argumenta Scholaſtica habent, accuratè tamen ſcriptæ. Atqve adeo is Ciceronis ac eorum qvi Ciceroni æqvales fuerunt, veſtigiis inſiſtit, ut *Ovidius* (ſed hujus ſcriptis qvis non cedit?) βαρβαρίζειν illi viſus fuerit, cum qvo qvidem judicio illum nos valere jubemus, neqve enim aſſecutus eſt vim illam Carminis Ovidiani non idoneus ejus judex. De *Petri Bunelli* epiſtolis jam ante diximus, à cujus exemplo ſcribere didicit *Manutius*, ut ipſe in epiſtolis ſuis fatetur. *Manutius* magnam aſſecutus eſt in exprimendo ſtylo Ciceroniano felicitatem, cujus epiſtolæ magna

gna cura ac diligentia conſcriptæ ſunt, atqve ut *Scioppius* nobis narrat tanto labore tantaqve induſtria, ut menſes aliqvot uni interdum epiſtolæ impenderit, ſcilicet qvem antea laudaverat, qvod nemo, qvi ſanus ſit, ad puritatis & elegantiæ latinæ ſummam qviqvam Manutio defuiſſe dixerit, mox tamen colaphum illi impingens ex nimia illa cura factum eſſe judicat ut in *Manutii* epiſtolis, qvamvis elegantiſſimis, *neqvaqvam ea ſit gratia, qvæ hominem, niſi valde otioſum ad iteratam invitet lectionem.* Sed *Scioppio* ſolemne eſt maledicere. Puriſſimus ſanè Autor eſt, ac pene unicus è recentioribus, qvem ego Ciceroni jungi poſſe arbitror. Qvod *Scioppius* dicit tædium repetitæ lectionis ex illis oriri, ſi qvid veri judicat, ex illo fortè eſt, qvod plerumqve de negotiis familiaribus ſcribat. Sed nos hic non de hoc ſolliciti dictionis præſtantiam commendamus. Aliqvot ejus epiſtolarum editiones ſunt, qvas recenſet & examinat *Thomaſius* in Præfat. noviſſimæ edit.

Lipſi-

Lipſienſis, *cui, ſi verum fateri velimus, non multum diligentiæ impendit.* Extant adhuc aliqvæ ejus epiſtolæ ineditæ apud viros doctos, atqve unam benè longam ſervat Clariſſimus *Pudius* ipſius *Manutii* manuſcriptam; qvam ille epiſtolarum *Manutii* reginam vocat. *Muretus* etiam nihil omiſit in epiſtolis qvod ad nitorem lingvæ latinæ pertinet, ſed delectui vocum magis ſtudet *Manutius*; numeri verò ac periodorum ſingularis artifex, præcipuè in Orationibus, ut rectè judicat *Joſephus Scaliger in Exceptis q.1. Caſelius Petri Victorii Diſcipulus*, Germaniæ noſtræ lumen *Roſtochienſis primum, tum Helmſtadienſis Academiæ Profeſſor* multas eruditas ac tersè ſcriptas epiſtolas tum ad viros Principes de rebus graviſſimis, tum ad familiares concinnavit. In qvibus multa ad doctrinam moralem civilem & literariam ſpectantia inveniuntur. Multæ adhuc ſuperſunt ineditæ qvæ in Bibliothecis doctorum virorum latent, qvæ editæ ſunt ad Viros Principes & Nobiles, duæ Centuriæ & aliæ

aliæ ad familiares & viros Doctos à Vagetio editæ. Magnificum ſtylo *Caſelii* elogium tribuit *Joſeph Scaliger Lib. 3. epiſt. 270. Multi*, inqvit, *latinè, pauci Romanè loqvuntur, & ſi qvi fortè Romanè raro illum Ciceroniani ſeculi genium aſſeqvuntur. Qvi hunc leporem in tua oratione* (ſcribit ad *Caſelium*) *non agnoſcit, is, qvid ſit Latinè ſcribere neſcit. Qvid de Verſiculis tuis dicam, qvi qvantum ab omni fuco & ambitione remoti ſunt, tantum Romanæ illius priſcæ ſimplicitatis & amœnitatis habent Catullianæ. Lucilii Philalthei Profeſſ. Medici Itali* epiſtolæ non contemnendæ & ſtylo puro geniumqve veterem ſpirante conſcriptæ. *Jacobi Omphali* paucæ ſunt ad familiares epiſtolæ, qvas ſubjicit Libro ſuo de elocutionis imitatione ac apparatu. Puritatem etiam in ſtylo ſectantur, ſed non poſſunt tamen cum præcipuis comparari. *Olympiæ Tulviæ Moratæ* epiſtolæ *Cœlii Curionis* epiſtolis commixtæ, non omni gloria ſua privandæ intra mediocritatem tamen conſiſtunt.

Com-

Commendatur *fœmina illa Thuano* à mo-rum ſanctimonia, ingenio & eruditio-ne, qvæ niſi præmaturè in vivis eſſe de-ſiiſſet, excellentiora ſcribere potuiſſet. *Sepulceda Cordubenſis Hiſpani* epiſtolæ una cum reliqvis ejus epiſtolis editæ. Qvod ſtylum ſpectat mediocriter etiam bonæ ſunt, rebus naturalibus refertæ. Bonus præterea fuit Philologus. *Nicolai Clepardi* epiſtolis nihil magis eſt face-tum qvanqvam etiam ſtylus reprehen-di non poſſit, magis tamen familiariter & ex tempore ſcripſit. Vehementer in illis exagitat mores & vivendi conſve-tudinem Hiſpanorum, narrat paſſim ſua Itineraria Africana. *Joſephi Scalige-ri* variis rebus epiſtolæ pleniſſimæ judi-ciis de libris & viris doctis. Stylus fa-miliaris ſed & argutus, compoſitio ta-men verborum & periodorum à Tullia-na diſcrepans, ſplendida omnia ſine ta-men affectatione. *Adami Theodori Si-beri* epiſtolæ orationibus junctæ magna etiam ſvavitate & elegantia ſermonis conſcriptæ ſunt. Vir enim fuit doctiſ-ſimus

ſimus ac *Joſepho Scaligero*, *Caſaubono*, *Grutero aliisqve Viris* doctis in pretio. *Baudii* epiſtolæ luxorioſiores qvodammodo ſunt qvam decet, facetæ etiam ac Plautinis ſalibus ubiqve refertæ. De iis judicat *Scaliger in excerptis à Budeanis editis*, qvod non ſtylo Ciceroniano, ſed tali, qvi tempora Domitiani ſapit, ſcriptæ ſunt. Qvare nolim ut fortè bi an imitandum ſibi proponat qvi prima ſtyli epiſtolaris exercitia qværit. Scriptæ ſunt *à Johanne Baptiſta Lauro*, epiſtolarum duæ Centuriæ non omninò contemnendæ, cui Viro magnum elògium ſuſpendit *Janus Nicius Erythræus in Pinacotheca Lib. 1. p. 141. Urbano IIX. erudito Pontifici* admodum gratus fuit, inter Cubicularios ſuos accivit, ut ejus conſilio uteretur in ſtudiis. Sed neſcio qvomodo inter epiſtolas *Johan. Baptiſtæ Lauri* (*Centur. 1. ep. 75.*) facetum *illud Carmen de Nihilo*, qvod in Calendas Januarias ſcripſit, *Paſſoratius* compareat, ſibi enim tribuere hoc carmen videtur. De *Lypſii* epiſtolis ejusqve ſtylo multa

dici

dici poſſent, vehementer enim ſenex à juvene diſcrepat. Cum enim in ſua juventute Ciceronianam dictionem ſeqveretur, maturioribus annis propè novum ſibi-eloqventiæ genus finxit, in qvo *argutiæ qvidem multæ multa feſtiva, adagia, ſimilia, ſententiæ, hemiſtichia*, qvæ omnia mirè ornant familiarem illum eruditorum ſtylum, qvem Scholaſticum aut Criticum non ineptè poſſis vocare. Atqve in eo planè aliter cum illo qvam cum cæteris viris eruditis actum eſt, qvi in juventute majorem ſermonis audaciam atqve luxuriem ſectati, cum ætate illam poſuere. Qvare magnam partem vera ſunt qvæ judicantur de illo in excerptis Scaligerianis. Et nunqvam ſvaſerim, ut anteqvam qvis robur in ſtylo acqviſiverit inexcitatus adhuc Lipſianæ Lectioni aſveſcat, aut ejus floſculos in uſus ſuos excerpat. Qvi illum imitati ſunt infeliciter rem ſuam geſſerunt, nam vel exſcripſerunt nonnulla aut ſententias qvasdam compilarunt, vel planè inepti, dum ejus dictionem exprimere

conantur per ſe non laudabilem, nec res idoneas qvibus exornent afferunt, ridiculi fiunt. Inter eos eſt *Bertilius Canutus Danus*, qvi gloriam imitatione Lipſiana qvæſivit, ut ipſo titulo Libri illam jactat; ſed nihil aliud ille facit qvam qvod deſcribat nonnunqvam periodos Lipſianos ac Lacinias ejus conſuat. *Puteanus* felicior eius an imitator an emendator fuit; Ipſe enim ſucceſſor Lipſii cum ſummo ſtudio exprimere eum tentavit, evitavit tamen abruptam illam brevitatem, tot ſententiarum hiatus & præcipitia, freqventatas interrogatiunculas, alterationes exiles ac ſimilia qvæ Lypſio familiaria vitia ſunt. Sed dum illa vitavit in aliud vitium incidit, περισσολογίας & ταυτολογίας; Cum enim brevitatem ſectari vellet, ejusque mediocritatem reſtituerit, id effecit, ut duabus, tribus vel qvatuor periodis abſolveret, qvæ Cicero una mediocri periodo abſolvere potuiſſet. Scripſit *Puteanus* aliqvot *Centurias*, qvæ vivo illo editæ ſunt, earumqve completa

edi-

editio *Francofurth An. 1663. prodiit* Post mortem ejus epistolarum *apparatus posthumus in septem Centurias distributus Lovani An. 1663. editus est. Petrus Gruterus Ludimagister Batavus* λυπσιανίζειν in epistolis suis etiam voluit, sed epistolarum brevitate, qvæ per se obscura est, obscuritatem sermoni suo antiqvis vocibus & fictis phrasibus induxit. Ejus stylum eleganti mimesi *Barlæus cent. 1. ep.* exagitavit. Et hujus hominis genus scribendi propè simile videtur Gallico illi, qvod à nonnullis inventum est & *Brulesqve* vocatur cujus generis epistolas è Gallis non nemo joci causa scripsit. Longe ineptior qvi Lypsium imitatus *Loelius*, in sua *institutione Epistolica*, κακοζηλίαν Lipsianam docet ipse vehementer ridiculus. Omisimus è superioris ætatis Epistoliographis nominare *Sadoleti Cardinalis* epistolas, Ciceroniano filo contextas, qvas magni æstimat *Melanchthon*, qvi ipsi familiaris fuit. *Calvini* epistolæ qvanqvam de rebus sacris scriptæ, non tamen absunt à castiga-

ta Latinitate, qvam ita affectavit ut sui temporis Theologos facile vinceret. *Casauboni* Viri doctissimi epistolas, qvarum optimam editionem procuravit Johann Georg Grævius, tum ob rerum varietatem, tum ob Græcæ Lingvæ flosculos, nonnullas legere possumus. Familiariter pleræqve sunt scriptæ, nam ut ipse fatetur, non multum se cruciari verborum delectu; Interim nihil deest illis elegantiæ, qvanqvam compositio non sit æqve Ciceroniana. Etenim compositio interdum omnem sermonis faciem immutat, cujus exemplum habemus in *Joachimo Camerario*, de ejus stylo *Philippus Melanchton lib. 4. ep. 106.* ita judicat, *qvod cum antea Ciceronis verbis & phrasibus uteretur, compositionem vero periodorum aliam haberet, postea, cum hunc etiam ad Ciceronis normam institueret, se ipsum qvasi superavit.* Qvi Græcis formulis in scribendis epistolis delectantur, multas illarum tum ex his *Casauboni* tum ex *Reinesii* epistolis colligere possunt. Non destituuntur lingvæ

lati-

latinæ genio etiam *Roberti Turneri* epi-
stolæ qvæ adduntur ejus orationibꝰ, sed
inæqvalis in Compositione est, argutius
nonnunqvam scribit periodis breviori-
bus humilius interdum laxioribus. *Jani*
Nicii Erythræi, qvi vero nomine *Johann*
Victorius Rossius appellatur, qvi propter-
ea ad Cardinalitiam dignitatem evectus
est, epistolæ, qvemadmodum omnia ejus
Viri, summa elegantia conscriptæ ut
concinna ubiqve verborum & periodo-
rum compositio testatur. Perspicuitas
mira sermonis & ornatus non confusus,
nisi paucula qvædam hinc inde inter-
spersa morosius, qvam par est, censere
velis, aut *cum Reinesio in epistolis ad Hoff-*
mannum & Robertum ep. 66. majorem
literaturæ Græcæ cognitionem, qva im-
paratus illi audit, desiderare. Sed illa
non obstitit scribendi epistolas. Judi-
cium etiam ille desiderat in eo, sed hoc
forte de rebus qvibusdam. Verba con-
cinna satis ac idoneo judicio posita, in
qvibus ego non facile, qvid desiderem,
inveniam, eum non deserit in *Reinesii.*

 Epi-

Epiſtolis, qvæ cenſor rigidior improbet. Nam ſanè qvod *Reineſius* ait videtur hoc ſolum qvæſiviſſe iſto ſcribendi genere, ut qvantum latina lingva valeat, experiretur; id verum etiam eſt, ut ejus illuſtre ex perimentum qvoqve dedit. Cujus epiſtolis ideo ſe dicit delectari, qvod res urbanas & doctos hac ætate homines ex iis poſſet cognoſcere. Et hæc veriſſima ſunt: Ubi ergo illa reprehenſio non accurati judicii demonſtratur? *Johannis Wouwerii* epiſtolæ *Hamburgi anno 1608.* editæ familiariter ſcriptæ, rei literariæ non parum habent, cura autem iſta non eſt adhibita, qvæ decet epiſtolam eleganter ſcriptam, ejus multæ adhuc ſunt ineditæ qvas ſervat clariſſimus *Gudius*. *Latinus*, qvem *Lypſius* optimum & doctiſſimum ſenem vocat, epiſtolas etiam ſcripſit, in qvibus guſtus aliqvis genuinæ latinitatis, ſed periodi interdum ſunt laxiores, qvam fortè par eſſet. Cæterum compoſitio planè Ciceroniana eſt, qvanqvam interdum periphraſes longiores & ſynonyma nimia illi adhibeantur ad

com-

complendam periodum. Continentur & in illis epistolis multæ supra Loca obscuriora Autorum observationes & conjecturæ, in Patribus præcipuè emendandis multum operæ posuit, *Reinesius* epistolas plurimas scripsit, qvæ editæ sunt per partes. *Primum* enim epistolas *ad Hoffmannum & Rupertum* edidit *Lipsiæ Bibliopola* ejus loci. *Hinc* prodierunt literæ *ad Nesterum & Vorstium* editore *Vorstio*. *Dehinc* literæ *ad Christianum Daumium* editore *Bosio*, qvibus epistolis mixtæ sunt etiam illæ qvæ ab aliis ad eum scriptæ sunt. Stylus familaris est, argutus, sententiosus, compositioni non adeò studens aut anxiè affectans Tullianam grandiloqventiam, sed magna in illis vis est *bonarum rerum tum Medicarum tum Philosophicarum & Historicarum*; inprimis illustrantur *Inscriptiones veteres*, qvarum ille diligentissimus collector fuit. In illis verò *ad Daumium multæ citra voces Græcas & Latinas Disputationes, multa de viris Doctissimis judicia* continentur. Pro-

mittit idem *Bosius* plures literarum fasciculos ad *Viros illustres & doctissimos à Reinesio* scriptarum, ac magnum satis volumen earum, qvas ad se scripsit habet *Clarissimus Gudius. Claudii Bartholomæi Morisoti* epistolæ affectare qvandam styli elegantiam videntur, sed longius ab illa distant, tum qvod verborum delectum tum qvod compositionem spectat; Scribitur in illis de rebus qvibusdam ad intellectum autorum pertinentibus, de rebus qvibusdam naturalibus aut ritibus, sed levia sunt & vulgaria ac nonnunqvam inepta aliqva declamatiuncula totam epistolam absolvit. Carmina qvæ immiscentur parum habent genii Poëtici, interdum in ipsas Prosodiæ leges impingunt. Scripsit & idem orbem maritimum ad cujus argumenti tractationem non affert id judicium, qvod expectaret aliqvis curiosior. *Claudius Sarrarius Senator Parisiensis* vir doctissimus *epistolas* scripsit *ad Viros illustres & doctissimos* varias easdemqve doctissimas. Multa in illis qvæ ad hi-

storiam

ſtoriam literariam ſui temporis ſpectant, multa de libris & ſcriptoribus variis judicia, ſtylus familiaris, ſub manu natus argutus tamen & feſtivus. Poſt mortem ejus prodierunt, *edente illas filio & Reginæ Chriſtinæ dedicante. Balzathius Gallus*, elegantiſſimi Vir ingenii ac magnus in ſtylo Gallico novator qvibusdam habitus. Epiſtolas latinas ſelectas ſcripſit, qvibus mira ineſt venuſtas, & Gallica qvædam urbanitas, nitidiſſimo Latino ſermone expreſſit. Qvo in autore obſervare popularitatem illam lingvæ ſuæ poſſumus & plane in illo occurrit Gallicum illud dicendi genus, qvod jam ſuo tempore deprehendere viſus eſt *Cicero*. Sic *Hieronymus* in epiſtola qvadam *ad Paulinum Hilarium* ſcribit Gallicano attolli Cothurno, qvam cenſuram ſuo etiam judicio comprobat *Eraſmus*, qvi grandiloqventiam aliqvam ac theatricam ſublimitatem, cum in LL. CC. incidit, qvi tractati facile ſplendeſcunt, in illo agnoſcit Similem ille grandiloqventiam in *Sulpitio Severo*, *Eucherio*

rio & Wilhelmo Budæo obſervat, qvem adeo ſublimem dicit ut tubam ſonare, credas non hominem de qvo operæ pretium eſt legere cœtera qvæ habet: *Sermonis latini*, inqvit porro *Eraſmus*, *tanta obſcuritas, tametſi partim inde eſt, qvod frequenter è diverſis membris contextam vix tandem longo circuitu abſolvit: tamen illud etiam officit orationis perſpicuitati, qvod in argumento per ſe ſubtilitatibus involuto laudem etiam affectavit argutiæ nonnunqvam copiæ.* Gallicas epiſtolas *Balzathius* multas ſcripſit, qvarum illæ qvas junior edidit, turgent qvodammodo metaphoris, & neſcio qvid Aſiatici ſonant. Verba illi ſunt multa recens ficta, qvam ob cauſam in reprehenſionem multorum incurrit multos etiam imitatores invenit, ſed maturiore ætate temperavit ſibi pauculum, & qvod tumidum antea videbatur, in mollius dicendi genus commutavit. Latinæ certè epiſtolæ virum non juvenem ſpirant. Dici vix poteſt, qvanta partium ſtudia fuerint in Gallia adver-

versus huius hominis eloqventiam, aliis ut novam integris libris damnantibus, aliis ut perfectissimi sermonis exemplum imitantibus Historiam eius rei omnem prolixa Dissertatione complexus est *Sorellus Bibliotheca Gallica*. *Josephi Laurentii* epistolæ, de rebus philologicis qvibusdam scriptæ non magnæ rei sunt; *Lypsii* simia est vocularum obscuriorum affectator & inanibus qvibusdam sensiculis turget. *Boxhornii* epistolæ non carent venustate, qvanqvam pleræqve familiariter & ex tempore scriptæ de rebus nonnullis Philologicis nec ab ipso vivo sed post mortem eius sunt editæ. *Gabriel Naudæus* in epistolis suis non tam rara habet qvam forsan ab eius eruditione expectes; stylus tamen facilis, non assurgens, compositio obvia nec multum coacta; Legi potius ob rerum notitiam, qvæ tamen non adeo multa est, qvam ob styli curam debet. *Casparis Barlæi Medic. D. & Philosoph. in illustr. Amstelod. Gymnasio Profess.* epistolis nihil est facetius & festivius, ut fuit ingenium

eius viri ad extemporales lepores factum. De ſtylo ſi qværas, nec laudarem nimis, nec reprehenderem. Omnia ex tempore ſcripta, dictio non ſemper pura, ut in Poëmatibus eius: Compoſitioni periodorum, ut in orationibus ita nec in epiſtolis ſtudet; Cæterum ſingulari voluptati erit, animum gravioribus ſtudiis ſaturum his velut cupediis reficere. Jungi his poſſunt *Franciſci Martini Sacerdotis Epenſis* epiſtolæ ob ſingularem feſtivitatem & joca plurima commendandæ. Stylus non adeò malus. *Octavius Ferrarius* humaniorum literarum Profeſſor in Academia Patavina, epiſtolas qvasdam ſcripſit proluſionibus eius additas, ſtylo non omnino malo, facili ſed compoſitioni non adeò ſtudet, atqve ex tempore ſcribit. *Neibuſii* epiſtolæ mediocri ſtylo ſcriptæ in exemplum tamen nunqvm ponendæ, exigua enim illis eſt tum concinnitas & venuſtas tum verborum delectus. *Rolandus Mareſius* epiſtolas qvinqvaginta ſcripſit eleganti ſtylo, de variis rebus literariis ad viros do-

doctissimos. Multa in illis sunt consilia pro lingvæ latinæ studiis. Plures Libros promisit, qvi an editi sint, ignoro. *Crucii* epistolæ ineptissimæ ubiqve declamatiunculis & Locis Communibus lascivæ, *è veteribus Senecam è recentioribus Lypsium* exscribit, unde gnomas aliqvas, sententiolas argutas ac similia congerit. *Augusti Buchneri epistolarum Tomi duo* prodierunt *Dresdæ anno 1679. & 1680. in octavo.* Erat vir ille ad omnem nitorem literarum factus, Orator optimus & Pœtarum suo tempore inter Germanos princeps. Benè sanè meriti fuerunt de orbe literato, qvi has eius epistolas publicarunt, in qvibus multa sunt de rebus literariis judicia stylus ipsi elegans, qvanqvam concisus, formata tamen ipsi ex Cicerone dictio est, qvod verò τὸ ἐπιδεικτικὸν spectat ab illo diversa. Qvantus hic fuerit *Ciceronis* æstimator videas ex *epistola illa* luculentissima qvæ est *trigesima secunda Partis secundæ ad Schneiderum Ducis Holsatiæ Consiliarium*, qvi ipsius consilium rogaverat de

Curtio, an ſcilicet ipſius ſtylus ad eloqventiam Romanam ſufficere poſſet; ſed in alia omnia it *Buchnerus, qvi Curtii declamatoriam indolem abeſſe judicat à puritate nitoris Romani*, ſolum itaque Ciceronem illic ad omne ſcribendi genus tum Epiſtolare, tum Oratorium, tum Hiſtoricum unicè commendat, & qvid dicam de variis rebus & judiciis, qvæ habet de Autoribus veteribus & recentioribus. Atqve hi ferè ſunt Autores Epiſtoliographi præ cæteris cogniti. Nam omnium inire numerum unius non eſt inſtituti nec opus eſt, cum ad eloqventiæ epiſtolaris exercitium unus altervè ſufficiat. *E Veteribus* unus eligatur *Cicero* tum qva Latinitatem tum qva compoſitionem. *E Plinio notari* poſſunt formulæ inſigniores ad ſtyli Ciceroniani compoſitionem ſeducendæ. *E Recentioribus pauci* familiariter legantur. Nullas enim earum legi debere, qvod vult *Wawaſſor Libr. de Epigrammatibus*, non probaverim. Sufficere poſſunt, *Bunellus, Manutius, Puteanus Muretus*,

Julius Cæsar Scaliger & Buchnerus. Cæteri vero, ut imitari velis ſtylum, non legendi, niſi quantum ex eis elegantiam formularum congerere potes, qvas data occaſione in rem tuam vertere poſſis. Non inutilis labor eſt illorum, qvi epiſtolas virorum doctorum & illuſtrium ſeorſim ſcriptas, juſtis Voluminibus Collegerunt. Sic habemus *Virorum clarorum, illuſtrium Principum ad Principis epiſtolas*, qvæ diſtinctis collectæ voluminibus prodierunt, ſed eæ potiſſimum ob res politicas & Theologicas editæ ſunt, qvarũ ex iis notitia haberi poteſt. Ob ſtyli vero elegantiam præcipuè nullas memini aliqvo Volumine collectas. Operæ tamen precium eſſet, ſi qvis talem operam ſuſciperet, præcipuè in Dedicatoriis epiſtolis à Viris doctiſſimis conſcriptis, qvarum tamen delectus haberi debet, qvod inſtitutum commendat *Sorellus in Bibliotheca ſua Gallica Diſſert. de epiſtolis Gallicis*, ac præivit nobis exemplo, qvi *Pateani* Dedicatorias uno Volumine ſub Titulo *Pompæ Proſphoneti-*

ea edidit. In *Gallica* Lingva permultos tales epiſtolarum libros habemus, inprimis amatoriarum in qvibus illa gens exercere ingenium ſuum amat. Illorum epiſtolographorum, qvorum epiſtolæ legi ob res ipſas debent potius, qvam ob ſtylum magnus eſt numerus. Sic habemus epiſtolas *à Patribus* ſcriptas, de qvibus conſulatur *Johannes Baptiſta Terrarius Libro de epiſtolis ſacris.* De *rebus Philologicis* multi autores epiſtoliographici ſcripſerunt, ac præter hos, qvos jam nominavimus, ſunt *Melchioris Goldaſty* epiſtolæ, qvi epiſtolas Philologici argumenti collegit. *Jani Paraſii* qvæſita per epiſtolam qvibus reſpondet ad interrogationes nonnullorum de *rebus Criticis. Laurentius Pignorius in Symbolis epiſtolicis multa ad antiqvitates Ægyptiacas, Græcas, Romanas ſpectantia habet. Tanaqvil Faber* in ſuis epiſtolis autorum loca emendat. *Salmaſius in latinis* ſuis *ex Balzathio in Gallicis* epiſtolis Philologica etiam argumenta tractat. Varias res Politicas, Theologicas,

cas, Physicas, Historicas *Conringius* in suis epistolis tractat, qvæ Præfationes in Autores aut Dedicatoriæ sunt. Physici argumenti epistolas scripsit *Licetus*, cujus qvæsitorum per epistolam qvinqve vel sex Tomi sunt, qvibus tamen etiam Philologica nonnulla miscentur. Extant & multæ *Cartesii* epistolæ tum *latinæ cum Gallicæ, omnes Physici vel Mathematici argumenti. Gallicas* de rebus Physicis epistolas scripsit *Sordierius Regis Galliæ Historiographus. Geographici argumenti* epistolas *Busbeqvius* nobis dedit, stylo eleganti, qvibus multa Turcici Regiminis arcana continentur. Item *Momponisius* qvi Gallico sermone epistolas scripsit qvibus iter suum per Africam Asiam & Europam descripsit, in qvibus multa reperiuntur curiosa tam naturalia, qvam artificialia, etiam Politica, sed cum Posthumus liber sit nec ab ipso Autore editus in rebus istis qvas collegit, delectus non est institutus, qvem instituisset forte Autor, si edidisset. Extant & in Italica Lingva *Petri de La Velle*

le peregrinationis illustris epistolæ, qvæ Asiaticas potissimum res complectuntur ac accuratè enarrant. *Politicarum* affatim habemus exempla apud *Ciceronem* præsertim *in iis ad Atticum*, in qvibus continentur universus iste tum temporis reipublicæ Romanæ status. Elogium earum habet *Cornelius Nepos in vita Attici Censor* ipse talium acerrimus. *cap.16. eas*, inqvit, *qvi legat non multum desideret contextam historiam eorum temporum. Si enim omnia de studiis Principum & vitiis Ducum ac mutationibus reipublicæ perscripta sunt, ut nihil in his non appareat & facile æstimari possit, prudentiam qvodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum qvæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam qvæ nunc usu veniunt, cecinit ut Vates.* E *recentioribus* plures habemus eius generis epistolas, non *latina* tantum sed & *Gallica* & *Italica* Lingva scriptas, & qvidem non pauci Autores qvos supra nominavimus. *Æneas Sylvius Erasmus Roterodamus*, *Joachimus Camerarius*,


Phi-

Philippus Melanchthon huc referendi. Huc pertinent *Petri Martyris, Anglery Mediolanensis, Protonotarii Apostolici, prioris Archi-Episcopatus Granatensis & Hispanis à rerum Indicarum consiliis Epistolæ* cum epistolis *Ferdinandi de Bulga* editæ *Amstelodami Typis Elzevirimus in folio anno 1670.* Qvo opere superioris seculi res gestæ & consilia plurimam partem continentur *Grotianas epistolas* si haberemus omnes, ut sunt aliqui, qvi magnum ineditarum Volumen habent, plurimum rei Soliticæ in illis haberemus. *In Italica Lingva* habemus Principum ad Principes epistolas uno Volumine collectas, item Cardinalis *Ossati* & *Bentirogly*. *In Hispanica Antony Peresir* epistolas, qvibus multa sui temporis arcana continentur. *In Gallica Lingva* habemus *Pasqverii* epistolas, qvibus ea continentur, qvæ in tumultibus Parisiensibus contigerunt, aliosqve Autores, qvos vide apud *Sorellum*. *De negotio Pacificationis Osnabrugensis* extant epistolæ *Christophori Forstneri*. *In Germanicis*

nicis habemus Zeileri epiſtolas. Habemus & in *ligato ſermone* ſcriptas epiſtolas, qvarum longa alia eſt ratio, alius ſtylus, & qvidem in ipſa Poeſi diverſus. Qvas einm *Horatius* ſcripſit, penè accedunt ad naturam ſoluti ſermonis. Numeros enim concinnos & compoſitionem Poeticam dedita opera neglexit, mirabiliter tamen ſunt venuſtæ & argutæ, & nemo eſt è recentioribus qvi hanc ſcribendi formam imitatus fuerit præter unum *Danielem Huetum Gallum* qvi ita eas expreſſit, ut nec ovum ovo ſimilius. *Ovidii* epiſtolæ amatoriæ ſunt & planè aliam formam habent; Nam omnia artificia tum Carminis Orationis pathetica expreſſit, qvem imitatus eſt è recentioribus in argumenti ſacro *Gabilladius* & alii nonnulli.



CAP.



CAP. II.

De

Artis Epistoliographicæ Scriptoribus.

QVanqvam qvi artis Rhetoricæ gnari sunt, multa ex illa ad ornandam epistolam petere possunt inprimis Enthymemata Oratoria, sunt tamen nonnulla, de qvibus seorsim monere debemus, non enim tantum dictio ipsa habet aliqvid ab oratoria diversum sed & res qvæ epistola scribuntur, ipse etiam scribendi modus suas qvasdam regulas habet, qvas apud Rhetores non est invenire. *A veteribus Sophistis Græcis* inter Progymnasmata referebantur, ac fuerunt inter illos nonnulli, qvi Græca Lingva Libros describenda epistola confecere, qvorum jam supra mentio facta est, præpri-

primis *Demetrii Palarii* cap. 195. de elocutione legi debet cum Commentario eruditiſſimo *Johannis Caſelii*, qvo velut per lancem ſacram præcipua conferuntur præcepta, cui annectit idem ille *Gregorii Nazianzeni de epiſtola ſcribenda* epiſtolam à ſe primum editam, cum non extet in *Nazianzeni* operibus, qvam *Artenius Delga Vir doctiſſimus* ſecum communicaverat, edita poſtea eſt atqve inſerta *Libro primo epiſtolarum familiarium Ciceronis epiſt.* 1. *a Manutio in Commentario*, cujus etiam *filius* ſeorſim edidit; In eam *brevis extat loco citato Caſelii Commentarius & luculentior Adami Theodori Siberi. Libanii* qvoqve libelli cum aliis nonnullis Græcis autoribus de epiſtolari charactere editi ſunt ab *Aldo Manutio ac Valentino Erythræo*, qvi poſterior illos, libris ſuis *de ratione legendi explicandi & ſcribendi epiſtolas* inſeruit. Superiori tempore, cum barbaries eſſet latinæ lingvæ fuere tamen nonnulli, qvi artem illam tradiderunt, qvam *artem epiſtolandi* vocarunt, è qvi-

bus

bus tamen optimum videtur opus *Johannis Altenstaig de conficiendis epistolis*, qvem Scholasticis Scriptoribus innutritum atqve eorum elegantiis assvetum, facilè videas. Fuêre tamen alii non contemnendi *Raphael Brandolinus*, *Conradus Celtes*, præ cæteris legendi *Ludovicus Vives*, *Erasmus Roterodamus*; *Melchior Junius Professor eloqventiæ in Academia Argentoratensi Scholas Rhetoricas de ratione contexendarum epistolarum scripsit*, in qvibus illud laudandum, qvod Ciceronianas epistolas sub suis generibus, qvasi Locorum communium titulis in ordinem redegerit additis semper imitationibus ad epistolas Ciceronianas, qvem autorem postea cum *Scholiis suis, sed ineptis & sinè judicio congestis edidit Philippus Horst Practicæ Philosophiæ in Academia Jenensi Professor.* Adhibuit præterea ineptam qvandam & Scholasticam curam in definiendis & dividendis omnibus qvod nescio qvomodo frigidum & putidum. *Lypsii institutio epistolica* etiam commendanda hic

est,


eſt, meliora enim epiſtolæ ſcribendæ præcepta dat, qvam ipſe ſcribit. In eam extat *Commentarius Christophori Heidmanni Helmſtadii an.* 1630. in octavo editus. Eſt & alia *inſtitutio epiſtolica ad Methodum Ciceronianam* edita *Heidelbergæ an. 1604. in octavo.* Plures alii ſunt magno numero artis epiſtoliographicæ Scriptores, qvorum alii ante alios commendandi. *Johannes Voëllus* artificio generali orationis componendæ aliqvid *de epiſtolis ſcribendis* ſubjecit *Coloniæ an. 1611. Iohannes Simonius* de eodem argumento ſcripſit, qvibus acceſſere poſtea notæ qvædam *Johannis Statii. Buchlerus Theſaurum conſcribendarum epiſtolarum* ſcripſit, qvibus additæ imitationes in epiſtolas Ciceronis ac formulæ non nullæ. Habemus *Georgii Fabricii, Christophori Hegendorſini Georgii Macropei, Johannis Molini, Simonis Verepei, Jodoci Junckmanni, Georgii Heiniſchii, Iohannis Henrici Alſtedii, Bartholomæi Sagittarii* &c. *libros de epiſtolis conſcribendis ſcriptos. E Recentioribus*

Chri-

Christophori Adami Ruperti Mercurius epistolaris non est contemnendus præsertim ob formulas qvas collegit è *Scaligeri & Casauboni* præcipuè epistolis. Est & *Israelis Clauderi Systema Epistolicum* in qvo varia habentur exempla argumentorum epistolarum, sed non placet sollicita ista ad partes justæ orationis Dispositio, qvanqvam in epistolis enthymemata etiam oratoria admitti debeant, abesse tamen ab illis debet morosior qvædam ad regulas Rhetoricas exactio. Exempla talium argumentorum epistolarum, si qvis exercere se in eis velit, edidit *Christophorus Schraderus*. Argumenta enim omnium moralium epistolarum, qvæ præcipuè reqvirunt enthymemata oratoria ille complexus est, & proposita ad imitationem Ciceronianā epistola simile qvippiam scribere docet, iisdemqve argumentis uti additis semper locis ex Aristotele. *Lelii* institutio epistolica inepta est, & secum insanire alios docet. Ex his Autoribus sufficere possunt cordatiores illi *tum Veteres tum re-*

centiores. *E recentioribus Erasmus*, cujus luculentissima sunt præcepta ut superet omnem tum Veterum tum recentiorum industriam; illud qvoqve laudabile est, qvod *minutissima etiam qvoqve in epistola scribenda dispiciat, formulas annectat, sollicitè epistolas tribuat, exempla elegantiæ tum sua tum aliena apponat, & qvidem sub Titulis qvibusdam Locorum communium per indicem congestas.* Nec culpari in eo industria hæc, qva etiam Tyronibus inservire voluit, debet, qvod facit *Budæus* qvi ob illam causam μικρολογίας cujusdam eum arguit. *Ludovicus Vives* strictior est & generaliora sectatur, jungi tamen illi potest *Melchior Junius* ob imitationes in epistolas Ciceronis & Collectanea epistolaria legi potest. *Schraderi Dispositiones epistolares* argumenta se exercitaturo suppeditabunt. Cœteris carere facile possumus nisi fortè & *Rupertum* ob formularum connexionem jungere illis velimus. Nam pleriqve ex aliis de charta in papyrum scribunt.

CAP



CAP. III.

De Charactere sive Dictione epistolarum.

IOHANNI STURMIO Viro literatissimo inutilis qvidem videtur opera, qvæ ponitur in Præceptis de epistola scribenda, cum ex Rhetoricis Præceptis petere abunde possimus omnem illam doctrinam tum characteris epistolaris tum argumentorum epistolarium: Nam *elocutio characterum species explicat. Inventio vero argumenta invenire docet*, etiam pro epistolis. Qvod verum qvidem est, sed cum generalior sit ista doctrina, præcepta verò singularibus applicare non sit, nisi ingenii exercitati, operæ profecto pretium facit, qvi ex illo fonte haurit qvantum epistolari eloqventiæ inservit, sic enim rectius cognoscemus, cum sub

ſub unum conſpectum, omnia huic rei neceſſaria redigantur. Error verò illorum non ferendus, qvi tenuè dicendi genus omni epiſtolæ indiſtinctè tribuunt. *Ludovicus Vives* certè *Ciceronis epiſtolis* ſermonem domeſticum & familiarem tribuit, nec aliter illum *cum uxore cum liberis cum ſervis, cum familiaribus, in foro in campo, in balneo, in cubiculo, in triclinio locutum* exiſtimat, qvod puto & illorum judicium eſſe, qvi Ciceroni Plinium præferunt, qvod *Sydonius Apollinaris* fecit, qvi ſe Plinii imitatorem jactat: qvod falſum eſt, & illud abſurdum. Tantum enim abeſt, ut ſtyli tenuitas ſit in *Ciceronis* epiſtolis, ut potius ferè nihil tenuitatis in illis invenire liceat, niſi fortè in illis, qvas ſcribit ad *Terentiam uxorem ſuam aut ſervos ſuos.* Ac qvanqvam ipſe *Cicero Lib. 9. epiſt. famil. 20.* *plebeio ſe ſermone ſrcibere ac epiſtolas qvotidianis verbis texere* dicat, illa potius extenuatio eſt, qva reſpondet *Papyrio Poeto* verborum fulmina in epiſtolis ſibi objicienti. Ac ita benè cœpit

Hen-

Henricus Stephani in Commentario de varia ſcriptione Epiſtolarum Ciceronis: Qui in epiſtolis Ciceronis vel ad familiares vel ad Atticum artificia oratoria verborum delectu non deprehendit, inſanus eſt, & latinitatis ignariſſimus. Verè tamen judicavit (qvod facit *Siberus in Comment. ad epiſt. Nazianzeni*) qvi in familiaribus inveniendi potiſſimum diſponendi artem qværunt, in iis ad Atticum eloqvendi rationem. Namqvanqvam in *epiſtolis ad Atticum* familiaris ſtylus ſit, ille tamen verborum typus circa graviſſima facilè evincit, nihil in illis eſſe qvotidiani. Unica illa Ciceronis epiſtola, qvam ad *Octavium Auguſtum* ſcripſit adeo non repit humi *judice Eraſmo*, ut non tantum attollatur ad orationum procellas verum etiam in Tragœdiam exeat. Faceſſant itaqve qvi tenuitatem unicè commendant in epiſtolis, qvam ob cauſam rectè improbantur etiam illi *à Demetrio* qvi eo ſtylo epiſtolas ſcribendas volunt, qvo Dialogus ſcribitur, qvod ſit veluti cum ab-

ſente colloqvium. Sed in epiſtolis aliqvid amplius eſt, neqve enim hic, ut in Dialogo, verba fortuita, ſed ordinè & decenter poſita reqvirat prudentior aliqvis. Rectiſſimè omnium *Nazianzenus*, qvi epiſtolarum modum atqve menſuram facit, rem ipſam pro argumento epiſtolæ, pro ratione perſonæ qvæ ſcribit & ad qvam ſcribitur omnis tenenda ratio ſtyli epiſtolaris eſt. *Videndum itaqve qvot ſint epiſtolarum genera.* Qvo de argumento peculiarem commentationem edidit *Henricus Stephani* editioni epiſtolarum familiarium *Ciceronis* Orationibus junctam, ſed more ſuo confusè omnia proponit, nec ſatis diſtinctè, ubiqvè immiſcens aliena. Nam primum longa ipſi Diſputatio eſt de *jocoſis & ſeveris epiſtolis*, multa adducens de urbanitate & facetiis ſtyli Ciceroniani eius exempla paſſim conglomerando, qvæ omnia tamen parum rei habere videntur. Qvantum ad ipſum commentationis argumentum, Eam epiſtolarum diviſionem deſumpſit ex ipſo *Cice-*

rone

rone epist. 4. *Lib.* 2. *ad familiares.* Nam ad tria illa capita jocosas & severas & tertium qvod non nominat omnem epistolarum materiam revocat, illud qvod non nominat, Cicero, nunciatorias præcipuè & domesticas continere putat, qvæ sunt de negotiis nostris scriptæ epistolæ, sed illa qvidem disputare tam prolixè nihil est opus, cum διχοτομία *illa Nazianzeni* absolvi res tota possit, qvod nec *Ciceronis* sententiæ repugnat. Est enim *epistola vel negotiosa* qvæ circa res vel nostras vel alienas occupatur vel *moralis* qvæ consistit in officiis illis qvæ civis civi, amicus amico præstare potest. *Ratione personarum & materiæ* ita dividit *Schefferus in* Gymnasio *styli Genus* scilicet *quaduplex constituit, unum* cum privati scribunt ad privatos de rebus privatis cujusmodi epistolas *Cicero* ad familiares plerasqve esse dicunt. *Aliud* cum privati ad privatos scribunt sed de rebus publicum concernentibus, cuiusmodi non paucæ sunt in iis ad Atticum. *Aliud* cum privati scribunt ad personas

publicas de privatis rebus & suis qvales multæ sunt *Plinii ad Trajanum*, & deniqve *Aliud* cum personæ publicæ ad publicas scribunt de rebus publicis, ut cum *Cicero* ad Senatum scribit de rebus à se gestis in provincia, cum *Plinium Trajanum* consulit de subjiciendis qvæstioni Christianis. Ex his *primum & tertium Genus privatum vocat, secundum vero & ultimum Politicum. In his* omnem Scholasticam sollicitudinem rejicit, gravitatem ac decentem ornatum reqvirit, *in illis* familiarem stylum publicum & cum simplicitate qvadam ornatum. Sed ita accuratè hæc omnia designari non possunt, est enim in una eademqve epistola character diversus; *Familiares epistolæ* modo tenaci stylo, modo arguto adagiis sententiisqve ornato scribi possunt, si reciprocentur inter viros literatos, qvo casu nec Græca adagia nec nitidiores ex ea lingva formulas, hemistichia item adagiola à Poetis adducta improbarem, qvanqvam si ad alios scribat Politicos de rebus gra-
vibus

vibus iste mos damnandus sit, ut improbavit *Balzachius quadam epistola p.* 169. *&* 168. tum in Græca tum in Gallica Lingva & *Rolandus Maresius Lib. 1. epistola philologica* 7. ubi occasione eius de *Lypsii* epistolis judicium suum exponit. *In illis familiaribus eruditorum literis sæpè aliqvid licet, qvod alias non liceret. Adhiberi possunt ænigmata, ritus, fabulæ, & similia, qvod aliud literarum genus respuit. Ita scripsere aliqvi integra epistolas carmine, sed dissimulato metro, qvales se literas ad Thomam Linacrum dedisse testatur Erasmus libro de ratione scribendarum epistolarum, metro trochaico, tetrametro compositas, sed ita temperata compositione, ut aliud agenti non facile suboleret esse carmen.* Admonuerat in epistolæ frontispicio *ut sibi caveret; in animum enim sibi esse ipsum hac epistola fallere, & in calce adjecerat se jam fefellisse, nisi falleretur ipse.* Sed non

 com-

comparet iſta epiſtola in opere Eraſmi. Idem artificium imitatus eſt *Baudius*, cujus *epiſtola 67. centuriæ ſecundæ* tota ex jambis conſtat. Similiter & *Hugenius* epiſtolam talem heroico carmine ſcripſit, qvod facilius ſe prodit, & aliam carmine Jambico ad *GmsWinckelium*, epigrammatum Lib 10. p. 340 cui illic reſpondet *GmsWinckelius* meris vocibus monoſyllabicis. Sed illa libertate qvadam & licentia jocandi inter vivos eruditos fiunt, nec facile in imitationem trahenda. Intelligenti & amico qvidvis ſcribi poteſt, in re verò ſeria & gravi alio utendum eſt ornatu. Verius itaqve character epiſtolaris definiri non poteſt, niſi in illis, qvi ad familiares ſcribuntur epiſtolis, qvibus tenuitas ſtyli convenire præ cæteris videtur. Qvanqvam & hic, ſi eruditi ſint ad qvos ſcribitur, argutiis licet indulgere. *Omnis itaqve diſtinctio eſt à rebus & à perſonis ubi grandiloqventiam oratoriam cum omni ornatu & numero deſiderat epiſtolæ argumentum*, ut cum ſcribimus ad *Magna-*

tes Dedicatorias, Gratulatorias, Consolatorias. Qvales epiſtolæ vix differunt ab oratione. In *petitoriis, Commendatoriis, gratiarum actoriis, ſvaſoriis ſimilibusqve Deliberativi Generis argumentis*, cultiori etiam ſtylo locus eſt; Sed qvi intra modeſtiæ tamen terminos conſiſtat, luminibus panegyricis non effloreſcat, nubibus tamen & nebulis non involvatur, In *epiſtolis familiaribus mixti argumenti*, qvibus mentis noſtræ ſenſa ſolummodò perſcribimus, aut aliqvid nunciamus *ſimplicitas qvædam orationis obſervanda eſt*, ſed tamen elegans, nec pigmenta affectans, nec infra ſordes ſe abjiciens. *Nazianzenus brevitatem, perſpicuitatem & venuſtatem* reqvirit in epiſtola. *Brevitas* ſecundum rei menſuram intelligenda eſt; *Nam vel tribus lineis ſumus prolixi & contra tribus paginis breves.* Brevitas illa non tantum conſiſtit in periodi menſura, qvanqvam & hoc hic attendi debeat, ſed in rebus ipſis, verbis, rerum circumſtantiis, ne cumulemus inutilia, per periphraſes ef-

 fera-

feramus qvæ ſimpliciter poſſumus, aut iſta adhibeamus argumenta, qvibus Orator in cauſis agendis utitur. Atqve hujus brevitatis nemo melior eſt artifex, ut rectè cenſet *Eraſmus*, qvam qvi copioſè ſcribere poteſt. Idem *Cicero* in orationibus copioſiſſimus eſt, & torrentis inſtar funditur. In *epiſtolis* præcipuè *ad Atticum* preſſus & brevis ut ſtillare ejus oratio videatur. Valdè enim errant, qvi *Ciceronis* ſtylum in epiſtolis prolixitatis cujusdam incuſant, qvi tamen pro rei ratione jam prolixior eſt jam brevior. Qva in ſententia *Rolandus Mareſius* eſſe videtur, qvi *Lib. 2. philolog. epiſt. 1.* judicia de nonnullis Epiſtoliographis exponit, *&* *epiſt. 4.* illis Ciceronis imitatoribus, præcipuè vero *Bunello & Manutio* ſuccenſet; ita enim de illis: *Horum (ſcilicet Bunelli & Manutii) epiſtolæ, licet prima fronte Ciceronianæ, ut libere loqvar, mihi non usqve qvaqve placent. Nam illorum ſermo nimis laxus & redundans, tum epi-*

epistolas plerumqve ad familiares dandas magno conatu conscribunt, nec secus verbis adornant, ac si non essent epistolæ, qvæ accuratè sane & sine molestia scribi debent, sed orationes de rebus gravissimis composita. Recenset porro *Manutii* de *Erasmo* & *Politiano* judicium, eiqve succenset, qvod olim cum eis miserè errasse scribat; *nam,* inqvit, *cum ejusmodi viris errare malim, qvam cum Bunello sapere, qvorum epistolas, non adeò verbis & rebus, certè Ciceronianas, longè pluris facio, qvam Bunellianas aut Manutianas rerum plerumqve inopes verbis canoras.* Hæc ille, unicus, si rectè memini, horum hominum censor, sed sine ratione dicit. Volumus certe epistolas florentissima oratione Romana scriptas, qvas qvi in his viris non videt, nihil videt. *At verborum,* inqvit, *fuerunt studiosiores qvam rerum.* Esto: aliter enim si fecissent, peccassent. Qvis enim rectus eloqventiæ habitus est sine delectu? Qvi si rectè instituatur, re-
 bus-

busqve accommodetur, perfectum eloqventiæ specimen habemus. Atqve eo fine potissimum scripsere has epistolas *Manutius* & *Bunellus*. Nec est qvod de rerum defectu conqveratur ille ὑπερκριτικός. Habent enim illi res, scribuntqve qvæ conveniunt epistolis omnium generum, sunt illic *salutationes*, *commendationes*, *petitiones*, *&c.* qvales plerumqve in epistolis *Ciceronis* occurrunt. Si rerum copiam velit adeat *Historicos*, *Philologos*. Qvod enim alii, qvos laudat, rebus sint instructiores id ab iis efficitur, qvia sunt vel *Historici* vel *Philologi*; qvanqvam illarum pleni sint, plerumqve solent esse verborum & ipsius eloqventiæ incuriosiores Ab eorum vero numero, cur *Muretum* eximat, non video, cujus epistolas elegantissimas vocat & vere *Ciceronianas*, qvasi vero ipse etiam de rebus privatis non agat. Nam qvi illud faciunt inter ineptos *Ciceronianos* referuntur. Summa ejus Dissertationis huc redit qvod *Ciceronianum characterem* rejiciat, *Plinianum* laudet ac

Lypsia-

Lypsianum in qvantum non corruptus est mala latinitate, hancqve concinnam brevitatem ille vocat, styloqve epistolari aptam. Sed sui cuiqve sunt sensus. *Cicero* non deficit in hoc styli genere exprimendo, ubi res flagitat, sed non semper eo utitur, nec uti debet, cum in qvibusdam epistolis uberior qvædam concinnitas & periodorum mensura sit habenda, qvæ rotunditatem aliqvam conciliet sermoni, qvam frustra in *Symmachi* epistolis admiratus est *Sydoricus*, nisi fortè vocat crebras argutas & concisas, ejus sententias rotunditatem, qvæ non est. Omnis enim sermonis orbis vel rotunditas à numero & periodo pendet ista vero in periodis μονοκώλοις vel πολυκώλοις, ut pleræqve sunt observari non potest, sed à decenti qvadam copia & apta inter se plurium membrorum compositione procedit. Mirum itaqve non est, si è recentioribus *Politianum & Erasmum* potissimum laudat: *Illum* enim valde politum & elegantem vocat, qvi & *Erasmo* commendatur eò qvod multas

res verbis paucis complectere possit; *Hunc*, qvanqvam extemporalem, ab erudita eloqventia ac judicio de re literaria extollit, qvo postremo qvidem non fallitur, sed eloqventia superiores illo sunt multi, & qvidem illi qvos adeò contemnit, *Bunellus & Manutius*, qvi ab iis ipsis, qvos laudat in errorem se inductos qværuntur. *Lypsii* stylum ac dicendi genus non improbare adeò videtur, ut qvem cum *Plinio* certare posse existimat, nisi corruperit ipse latinitatem & qvidem in eo non errat, qvod multum ei sit acuminis, multum argutiarum & doctrinæ, præcipua enim ejus virtus est illa urbanitas & venustas, qvam *Nazianzenus* in epistolis reqvirit, adeò ut penè peccet nimia ejus abundantia. *Nicolai Heinsii in epistola* ad *Maresium* scripta illud est judicium: *Lypsio non desunt suæ Veneres, habet, nescio qvid, qvod Lectorem trahit & qvod prorsus improbare non possis, & non tam illi succenseas, qvam ineptissimis imitatoribus,*

qvi

qvi illum imitandum sibi proponunt, idqve tam præposterè ut vitia ejus exprimant, plerumqve ejus virtutes non assequantur, imitatur neminem Lypsius, ac proinde legem hanc ipse servis istis animalibus posuisse videtur. Pluribus in eadem epistola de Latinitate *Lypsii* agit, quæ qvod interdum corrupta sit, corruptelæ majori sit obnoxia ex imitatione prava. Latinitatem *Lypsii* integro qvidem libro impugnavit *Henricus Stephani* sed ipse Vir exigui judicii, qvod vel ex ipso libri titulo apparet, interim nec planè omnia spernenda. Præterea & *Scioppius in infamia Jamiani sub finem ejus libri Barbarismos* qvosdam *Lypsii* perstringit; Censor ipse in multis censendus. Non enim pauca sunt, ubi infeliciter virgam istam censoriam stringit, ob hanc *imitationem Lypsianam* qva laborabat *juventus Belgica, cum Leidæ Professor esset Lypsius,* addit porro in eadem epistola *Heinsius*: *qvod nisi ὀφθαλμιάσεως Scaliger juventuti* no-

nostræ pessum eunti salubribus succurisset monitis in Lypsii locum à curatoribus hujus Academiæ oportunè subrogatus, futurum vix erat, ut tantam tot præclarorum ingeniorum, qvæ annis qvinqvaginta proximis in Batavia nostra illuxerunt, messem mirarentur exteri. Audiamus porrò consilium *viri istius*, cujus latinitas auream ætatem spirat *eadem in epistola: Jormandus*, inqvit, *mibi videtur dictionis character ex tribus optimi ævi scriptoribus, qvos ubi in succum sangvinemqve convertisti, natura tuæ, non alienæ instinctum seqvaris necesse est, ita tamen ut nimiæ neqve luxuriei nec abruptæ isti brevitati plus æqvo studeas sed eam constituas intra terminum qvem ex optimis omnes non unus sibi præscripserit.* Cujus viri sententiam etiam nos ambabus complectimur manibus, ut qvæ nec bonæ rationi nec naturæ rei magis conformis, nec enim fallere possunt, qvi sunt optimi, nec communis omnium optimorum consensus unius hominis sententiæ postponendus, Sola itaqve optimo,

morum imitatione & vel unius *Ciceronis* (nam multorum imitatio distrahit) optimum qvidem in epistola scribenda characterem acqvisiveris. Legi qvidem alii possunt præter *Ciceronem* sed compositio epistolæ tota ad Ciceronis genium instituenda. De mutatione hac eiusqve instituendis modis multi sunt libri conscripti. *Campianus, Viteranus, Sambucus, Doletus, Conradus Libro de latina lingva diffusè hec argumentum persecuti sunt.* Multi qvoque superiori seculo fuere, qvi opere ipso talem imitationem professi sunt, qvibus *Ciceronianorum* nomen datur, sed qvi ob malam institutionem vapulant aliis. Contra qvos præcipuè verò *Longolium Ciceronianum* suum scripsit *Erasmus*, qvem adorti sunt postea ex incolis plures *Ciceronianorum* defensores, inter qvos *Julius Cæsar Scaliger & Stephanus Doletus* acerbissimi, contra qvem postériorem passim in scriptis suis *Florus Sabinus Italus* iterum declamat, qvi *Erasmum* omnibus illis Italis præfert, ac *Doletum* ob causam

Ita-

Italorum ſuſceptam vehementer perſtringit, cui *Doletus* acerbiſſimè iterum reſpondet, paſſim ut in omnia *Eraſmi* Scripta ita in *Germanos* qvosvis injurius. Confidenter enim magnaqve audacia clamat, nullum è Germaniæ hypocauſtis hactenus prodiiſſe qvi puro veræqve latinitatis ſtylo uteretur. *p. 38. Conſolatione maledictorum Flori Sabini. Longolium* vero ob ineptam imitationem multis exagitatum *Eraſmo* omnibusqve *Germanis* præfert. *Eraſmi* adagia, vocat, *ſupervacaneum otioſi Senis laborem & ſurreptas omnium undiqve vigilias.* Sed potiſſima hujus Diſſertationis pars in Scommata & convitia abit, ubi nullus eſt ſincero judicio locus. *Eraſmum* qvidem ait, *motum ut calamum contra Longolium capeſſeret, ex eo, qvod is qvadam epiſtolâ Budæum illi prætulit.* Sed qvid cauſæ habuit *Manutius omnium Ciceronianorum Ciceronianiſſimus*, qvod in eundem ſurrexerit *epiſtola qvadam ad Sylvium ſcripta.* Eandem etiam in illa κακοζηλίαν reprehendit, qvod certè non

fe-

feciſſet vir candidiſſimus, niſi rem ita ſe habere accuratè obſervaſſet. *Et Doletus* tamen ipſe *libello de imitatione Ciceronianum* dicendum rectè exiſtimat, non qvi collectas aliqvas ex Cicerone loqvendi formulas paſſim & ubiqve inculcat, ſed *qvi continua lectione illum concoxerit atqve digeſſerit*, qvalis certè non fuit *Longolius*, licet illum excuſatum eat *Rogerus Aſchanius epiſt.* 1. *ad Sturmium Manutio* ſuffragii ferendi ſocium h. e. ad Manutii ſententiam accedentem ὁμόψυφον. Conſiſtit autem in eo imitatio, *ut primo* eundem verborum delectum habeamus, qvod fit *crebra obſervatione vocum, phraſium, translationum omniumqve illorum qvæ eo pertinent*, qva in re facem nobis præferre poterit *Strobæus libro elegantiſſimo de elocutione verborum.* Spectant & huc omnes illi autores qvi de Synonymis, de epithetis, de antithetis & Adverbiis Ciceronianis, item de Phraſibus ſcripſere; *Secundò* imitatio conſiſtit in ſententiarum vi, copia, gravitate, decente uſu;

Qvod

Qvòd ut obtineamus *Enthymemata oratoria, figuras, reliqvaqve artificia luculentius sectemur*, ac autores qvi illa docent, cognitos habeamus. *Tertiò* imitatio consistit in numeri Oratorii expressione cujus summum est in *Cicerone* artificium, qvod eo diligentius à nobis perqvirendum est, qvo illud segnius à multis pertractatur. Ejus præcepta præter antiqvos Rhetores *Ciceronem* ipsum *Aristotelem, Demetrium, Jovita Rapitius* singulari libro exposuit; *Sturmius* qvoqve peculiari *libro de Periodo*. Conferri qvoq; potest *Emanuel Thesaurus libro de arguta & ingeniosa elocutione, Lingva Italica conscripto qvadraginta annorum opere, Dissertatione de figuris harmonicis*. Cum itaqve crebra imitatione *Ciceronianum sermonem* exprimere didicimus, distingvere etiam *genera & characteres epistolici styli* debemus, de qvibus multa in genere disputatio est apud Rhetores. *Græci*, præter *Aristotelem* multas Ideas orationis comminiscuntur, sed qvas benè omnes ad *trium characterum distin-*

ctio-

ctionem reduxeris, de qvibus *Aristoteles & Cicero. Illi Asiaticum* Atticum & *Laconicum* dicendi genus, proponunt à populis certis ita ductum. Sed rectius dividemus *in circumductum, mediocre & concisum*, qvanqvam hæc *ratione formæ externæ* divisio potius accipienda videtur, ratione scilicet *periodorum. Ratione formæ internæ* item dividi potest dictio *in sublimem mediocrem & humilem*; Nec est qvod stylum omnem circumductum sublimem putemus, qvanqvam deductio periodorum faciat ad grandiloqventiam: Sed potest etiam stylus concisus esse sublimis ob splendorem verborum & sententiarum, unde potissimum sublimitas styli dependet, qvemadmodum circumscripta dictio humilibus tum verbis tum sententiis potest esse compacta. Styli sublimis epistolaris exempla vide apud *Plinium Lib. V. epist. 16. Lib IIX. epist. 17. Lib. V. epist. 6.* qvibus facile observaveris, qvam periodis etiam brevioribus possimus esse sublimes. Possunt verò epistolæ scribi pro ratio-

ratione argumenti omnibus iſtis dicendi generibus ſive *ratione formæ externæ ſive ratione internæ* illa conſideres. Ac omnium facilè invenies *exempla vel apud unum Ciceronem. Exemplum ſtyli circumducti & ſublimis*, ut ad oratoriam majeſtatem accedat *vid. Lib. I epiſt. 1. ad Qvintum Fratrem.* Contra *ſtylus breviſſimus eſt* exempli gratia *epiſtola* 5. *lib. XVI. ad familiares*, in qva nulla eſt ſublimitas, neqvè enim ea opus erat, cum de rebus familiaribus & domeſticis ageret. *Mediocris ſtyli* exempla tam ratione periodorum qvam ratione dictionis reperies. *Lib. I. ad familiares epiſt. 8. item epiſt. 6.* Sed ut jam diximus, non poteſt eſſe tam accurata inter hæc genera diſtinctio, cum in uno argumento miſceri illa poſſint, imo debeant. Unde etiam error illorum is eſt, qvi *Virgilium in Eclogis humili, Georgicis mediocri, Libris Æneidos grandi* ſcripſiſſe *ſtylo* volunt. Sæpè enim vel in *Georgicis & Eclogis* ad majeſtatem qvandam aſſurgit oratio, ſæpè & in *Libris Æneidos* humiliter

liter serpit, qvare mistura illa adhibenda est, ut cum *affectus moventur* vel *vehementes* vel *lenes*, vel *extollatur vel imminuatur* oratio; in *descriptionibus*, *comparationibus crescat, jaceat in narrationibus simplicibus*. Atqve hanc temperaturam in Oratione adhibendam esse res ipsa clamat, atqve exemplis prolixe probat *Leo Alatius Libro de erroribus magnorum virorum in dicendo cap. 8. & 9.*

Cap. IV. de *Numero & Periodis Epistolæ.*



APpendix hæc prioris Capitis est; seqvitur enim *dictionis naturam Periodorum mensura*. *Grande* namque *Genus & circumductum* periodos longiores, *Mediocre* mediocres, *Humile* humiles poscere videtur. Sed tamen illud cum distinctione intelligendum est; Nam granditas orationis in *conciso sermone*

locum invenit, ſed tum, ſi argumentum ſit, cui conveniat granditas ſtyli, atqve aliqvod conciſum genus aliqvis elegerit, prolixiores debent eſſe periodi in *oratione conciſa* qvam in epiſtola. Sic *oratio Plinii in Trajanum* conciſo ſtylo ſcripta eſt, ſed oratorio, qvi convenit granditati argumenti. Contra vero cum in *circumducto genere* prolixiores habet periodos in oratione qvam in epiſtolis, niſi forte & ipſa ad orationis naturam accesſerit. Sortitur itaqve oratio periodos in unoqvoqve genere ſeu circumducto ſeu conciſo, jam diffuſiores jam contractiores prout argumenti ratio poſtulat, cujus intuitu & prolixitas & brevitas determinantur, ita ut in *circumducto ſtylo oratorio periodi ſint longiſſimi, in circumducto ſtylo epiſtolico breviores ſint periodi*; In *ſtylo conciſo* oratorio breviores periodi ſint, vel æqvales ſtylo circumducto epiſtolico, diffuſiores tamen qvam in ſtylo epiſtolari conciſo. Sed & hic temperatura obſervanda eſt, qvæ in dictione ipſa eſt: neqve enim ſem-

ſemper æqvalis periodorum menſura eſt, ſed breviores etiam interſeri poſſunt, ab illo verò, qvod potiſſimum eſt, dictionis menſura denominatur. Qva in re *Græcorum Sophiſtæ* vehementer errarunt, qvi adeò religioſi numerorum fuerunt obſervatores, ut putidum & affectatum eorum ſtudium viſum fuerit omnibus. *Latini* verò *Oratores*, præcipuè autem *Cicero*, ita ſibi temperarunt, ut non tota eorum oratio in numeris conſtaret, ſed numeros non aſpernari aut negligere viſa fuerint. Si ad ſcriptionem epiſtolarem reſpicimus ita de ea *Qvintilianus Lib.9.c.4.Eſt*, inqvit, *oratio alia vincta ac contexta, ſoluta alia, qvalis in ſermone & epiſtolis* Ubi *vinctam* orationem vocat numeroſam *ſolutam* numeris deſtitutam, qvibus carere dicit ſermonem i. e. dialogum & epiſtolas. Qvibus omnem numeroſam dictionem adimere hoc ſuo judicio videtur; Sed addit ſtatim, *niſi cum aliqvid ſupra ſuam tractant naturam*; Atqve tum multa cum ſtylo oratorio communia habent.

Solutam verò ita vult epistolam, ut potius laxiora vincula in his sint quam nulla. Qvoniam verò non fluit, nec cohæret, nec verba de verbis trahit, aut membra sibi subordinat, Oratorum more, *Soluta oratio* epistola illi vocatur, qva utin ur in *epistolis* illis *familiaribus*, vel *iis* potius qvas *domesticas* appellat *Cicero*, qvarum exemplum ex *epist. 5. Lib. XVI.* supra dedimus. In hoc *familiari* epistolarum *genere* stylus solutus ac planè compositione periodica carens scribitur à *Cicerone* in *epistolis ad Atticum*, & in, *ea qvam ad Tironem* scripsit superius nobis citata, cum possit unius vel alterius interpositione compositam facere periodum. Sic *illa* ad *Tironem epistola* tres periodi initiales unâ facillime possunt comprehendi. *Cicero ita*; *vide qvanta in te sit svavitas. Duas horas Thyræi fuimus: Xenomenes hospes tam te diligit, qvam si vixisset tecum.* Facile hæc in unam periodum commutat. *Tanta est in te svavitas, ut cum duas horas tantum Thyræi fuimus, te tamen Xenomenes*

nes hostes tam diligat, qvam si vixisset tecum. Qvæ conjunctio membrorum fit per aliqvas tantum particulas. Sic *epistola ultima Lib. XV. ad famil: Et epistolam tuam legi libenter & librum libentissimè sed tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem, qvod* &c. Qvæ etsi dissolutæ sint, tamen ita cohærere possunt: *etsi epistolam tuam legi libenter & librum libentissimè, tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem*, &c. Idem verò *Cicero* qvi hic & aliis locis concisus est, alibi prolixior est per crebras parentheses, qvibus interdum vel membra vel periodi interceptæ sunt, *e. g.* in *principio epistolæ 12. lib. 6. ad famil. & epist. 10. lib. 15.* ubi, parenthesi longa interjecta, ita turbat periodum ut resumere principium periodi illi necessum fuerit. *Qvando id accidit, qvod mihi maximè fuerit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam (mirificus enim generis ac nominis fuit erga me semper animus) qvando ergò ita accidit ut omnium vestro studio tuus consulatus satisfacere possit.*

Sed evitari hæc repetitio facile qvidem potuiſſet, ſi ita periodum formaſſet; *Ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam (mirificus enim generis ac nominis veſtri fuit erga me ſemper animus) omnium deniqve veſtrum ſtudio* &c. Sed crebræ tales parentheſes ſunt apud *Ciceronem*, qvæ fortaſſis arguunt ſcriptionem extemporalem, cum levi negotio aliter potuiſſent informari periodi, & parum gratiæ habent, ubi de rebus domeſticis & familiaribus ſcribitur. Ita in *epiſtola qvadam ad Brutum Cicero ubi pene λεσβιανίζειν* videtur: *Breves tuæ literæ, breves dico ? imo nullæ. Tribusne verſiculis Brutus ad me? Nihil ſcripſiſſem potius. Et reqviris meas, qvaſi unqvam ad te tuorum ſine meis venit.* Hæc ut rectè *Henricus Stephani* ex conſvetudine qvotidiana ſermonis dicta ſunt, non tamen ita aprupta, ut non integra qvis ſuſpicari poſſit; plana enim ſunt omnia, ſed planè pendent *Veneres*, ſi hanc ſermonis faciem illi exuas: *Breves tuæ literæ fuerunt & qvas non breves ſed nullas merito fuiſ-*

ſe

se dixerim. Ac mirari certè non possum, qvid tibi in mentem venerit, ut his temporibus tres versiculos ad me scribere contentus fueris? Nam ego si tuo loco fuissem, nullasqvam tam breves literas scribere maluissem. Sed tu vicissim officium literarum à me reqviris? Est scilicet cur hoc à te reqviratur, cum neminem ad te tuorum sine meis venire passus sim. Exigua est huic laxiori sermoni gratia, Nam & affectus perit postulationis per interrogationis figuram à *Cicerone* institutam. Deinde res sunt exiguæ & familiares, in qvibus inepta est tanta circumlocutio & qvibus domestica illa dicendi forma ad sermocinationis naturam accedens, longe est accommodatior & brevitatem in illa præscribit. Contra prolixior interdum *Cicero* est periodis, credo negligentia aliqva ultra triginta lineis continuata ut *epist. 9. lib. 11. ad famil.* ab illis verbis: *Ego si ab improbis & perditis civibus rempublicam teneri viderem, usq; dignitatem aggregasse,* qvæ continua est periodis & pene τόμος. *Circumscriptæ episto-*

 la

le exemplum vid. *Lib. 5. epist. 16. ad famil.* qvam in concisum stylum transformavit. *Masenius in palestra styli Romani lib. 2. c. 12.* Idem *Masenius eodem in loco* epistolam 3. *Plinii lib. 2.* in stylum Ciceronianum transtulit. *Idem Lipsii* qvandam epistolam & *Puteani eodem in loco* examinat secundum differentias periodorum. Atqve hæc sunt ferè qvæ ad *stylum, formam dictionis epistolarem tam internam qvam externam* pertinere videntur. Sed inest tamen ingeniis singulis, qvemadmodum vultibus, aliquid immutabile, qvod ita ejus naturæ proprium est ut in scribendo etiam appareat. Hinc, non absurdus est *Autor ille Italus Camilius Ballus Philosophus Benoniensis*, qvi *erudito libello Italicè scripto de ratione cognoscendi mores & qvalitates scribentis ex ipsius epistola* eleganter disseruit, qvi in latinam lingvam conversus est, *curante Petro Filio*, scilicet in illo libro tam ex *charactere epistolæ* qvam *ex verbis, phrasibus, translationibus, periodis, distinctione & interpunctione,*

ne, orthographia, mala vel bona scriptura, de natura, moribus corporis, animi proprietatibus divinitatem qvandam instituere docet. Ejus principia qvanqvam sint conjecturalia, non tamen omnino sunt rejicienda, cum fundentur in illis fundamentis è qvibus de ingenio hominis judicari potest. Est enim *character animi epistola teste Demetrio*, ac *Victorius* in eum ita judicat: *Est verò epistolaris stylus ideò accommodatio huic divinationi qvia familiaris est, ac affectus nostros clarius perspiciendos exhibet; ac tales epistolæ magis huic rei idoneæ sunt qvam qvæ singulari artificio ad Viros illustres* scribuntur. Nec fuit is primus qvi in hanc divinationem cogitationes convertit, sed tum jam à *Rabinis* aliqva ejus artis fuisse præcepta subministrata, alicubi ipse legi. Disserit etiam, ibi prolixius *de natura* Lingvarum *& pronunciationis* pro variatione locorum, *aliam esse hominibus in locis sylvestribus, aliam in montanis, aliam in arenosis & humidis viventibus*. Sic observat homines in fri-

frigido aëre viventes voces abſcindere, contrahere, paucis vocalibus multis conſonantibus. Contra verò qvi in calidis habitant, voces dilatare, aperto gutture loqvi vocé ſonora. Illud verò ridiculum eſt qvod in Germanica lingva tot monoſyllaba reperiri exiſtimat, qvia gens illa multum bibat,

CAP. V.

De *Epiſtolis Familiaribus earundemqve conficiendarum ratione.*

DIxi aliam eſſe faciem *epiſtolæ familiaris*, vel potius *Miſcellaneæ* qvæ promiſcua argumenta habet, qvam earum qvæ ad certum aliqvod genus pertinentes *Enthymematibus Oratoriis* utuntur. In iis enim character multum ex Oratorio aſſumit, numeros ſuos habet & periodos. Verum *hoc epiſtolæ Genus*; qvod non

non multum à *Sermocinatione* diſtat, ea omnia reſpuit, nec pompam ullam oſtendit, admittit *omnis generis vocabula & phraſes* ſed tamen latinas, non barbaras, non triviales, nam & aliqvis vocum delectus eſſe poteſt, modo non ſint ambitioſæ vel translationibus longè petitis audaces. *Electæ* verò *voces*, *adagia* etiam nonnunqvam, *Verſus integri vel caſi*, *vocabula Græca emphaticotera* inſpergi poſſunt, nam & illa inter *ſermocinandum* ſæpè incidere ſolent, *Mythologica Ritus*, *antiqvitates*, immiſceri poſſunt, ſi ad eruditos ſcribatur; ſed attingenda ea verbulo ſunt, non diffundenda, præferenda etiam notiora ignotis, nec ſunt illa omnia ſingulis lineis aut periodis cumulanda. *Cacoëthes* enim eſt illorum, qvi ex meris *proverbiis Græcis*, *Latinis*, tam ſolutæ qvam ligatæ orationis velut verſiculore aliqvo panno veſtem orationis diſtingvunt; ita enim nulla eſt ejus rei futura gratia. *Joci puri & opportuni* magnam etiam hic gratiam concilliant, nam inter virtutes epiſtolæ eſt, *Urba-*

banitas Ciceroni magnopere laudata, & qva ipſe paſſim utitur. Inepti ſunt, qvi in epiſtolis miſcellanei argumenti Rhetorica artificia qværunt, aut illas orationis partes. *Tu modo vide ut membra cohæreant, atqve ordine aliqvo rerum connectantur*, atqve ſic ſatis benè ordinatam habebis epiſtolam familiarem. Neqve enim hic utendum formulis illis Oratoribus uſitatis, qvibus ab argumentis ad argumenta transeunt. *Præfige tibi ſcribenda, nullo ordine, id tantum obſerva qvæ inter illa ſibi vicinitate qvadam reſpondeant*; Unde connectendi ratio facile tibi invenitur. Ea in re utilis eſſe poteſt, qvi à *Jacobo Hugves* ſcriptus eſt *de artificio transitionum liber* elegans planè & aureus. Brevitas in hoc epiſtolarum genere præcipuè ſectanda, citra ullam membrorum & periodorum curam ſingularem, vide tamen ne abrupta ſit, & cum brevius, qvam par eſt, abrumpitur, ſeqventibus periodis aliqva prioris periodi pars repetit neceſſum ſit. Ταυτολογίας enim & obſcuritatis vitium ſtylo bre-

breviori facile accidit, ſi connexio ſcribendorum non ſtatim ſuccurrit, una vel altera interpoſita periodus viam qvaſi ſternere poteſt. Nos praxin ipſam tentabimus:

Exemplum I. Epiſtolæ Miscellaneæ.

a, ſcribenda:

1. Excuſat intermiſſionem literarum. 2. Gratulatur de dignitate Senatoria, 3. Nunciat morbum fratris remiſiſſe, 4. Gratias agit pro transmiſſis libris, 5. Conſultat de viſenda Academia, 6. Nunciat transitum ter mille eqvitum, 7. Rogat ut literas ſuas Reſponſione dignetur.

b, Connexio.

1. Diſtuli ad te ſcribere deficiente argumento.

2. Nunc, ſimul te in ordinem Senatorium cooptatum eſſe comperi, affectus gaudii erumpit in epiſtola. Apprecor igitur &c.

 3. At-

3.] Atqve ut perfectius ſit meum gaudium, accedit, qvod frater cum valetudine redierit in gratiam.

4. Et nunc communiter utimur tua benevolentia, qvam miſſis illis libris exhibuiſti.

5. Roboro me ex illis indies velut qvi bellum meditantur; Erit enim, ni fallor, hoc vere in Academia qvadam cum illuſtribus ingeniis decernendum. Sed in qva? tuum eſt definire, cum ſecuritas minuatur in horas.

6. Eqvites illi, qvi his diebus tranſierunt, arguunt muſarum ſedem alicubi iri deſertum.

7. Qvare ut qvid ſentias, citius ſciam, noli remorari reſponſum. Vale.

Exemplum II.

a, ſcribenda:

1. Commendat Filium ſuum Doctori Academiæ, 2. De Licentia Academicorum Germanicorum conqværitur, 3. Nunciat Belgarum victoriam in Gal-

Gallos, 4. Ferrum laudat, 5. Jacturam navis amici sui nunciat, 6. Agriculturam laudat, 7. Laudat homines suos domesticos, 8. Petit ut mutuo det aliqvam pecuniæ summam, 9. Petit ut filiæ suæ de Marito prospiciat.

b, Connexio.

1. Abit ad Vos Filius meus è manu patris in tuam ceu Parentis adoptivi, è privatis umbris in vestræ Academiæ lucum, è domesticis carceribus, in studiorum liberiorem campum.

2. Exspatiabitur in illum sed te Duce: libertatem enim liberalium artium, qvas libere spirare patitur Libertas Germanica laudo, atqve Germanicorum morum filium volo, sed tamen ita, ne libertas abeat in licentiam. Fruatur ille Academico otio, in loco hactenus tranqvillo & qvamdiu publicam salutem non turbat Gallus. Qvare vereor ne hæc res in nervum prorumpat deniqve: Qvi enim fieri aliter potest, tum nos compressis manibus sedemus & otiosi sumus in

in hoc theatro ſpectatores. Actum de nobis eſt, niſi Θεὸς ἐπαννηχανὴς & utinam tandem arma jungant cum Cæſare, qvi eodem fœdere junguntur Principes.

3. Et ſperandum videtur, cum inſignis illa Belgarum in Gallos victoria, animum illis addere poſſit.

4. Vides jam ferrea iſta ſecula, qvæ non temporis titulum, ſed iſtos animos occupant, ferrea pectora, ferrea ora, ferreæ frontes, omnia ferrea. Neqve enim metallum hoc noxium eſt, ſed animi hominum illud laudabile & hominum neceſſitati ſublevandæ natum. Sed tolle aurum illud ferro longe nocentius, qvo noſtra militant ſecula & mutabuntur facile enſes in falces & aratra. Qvis jam non aurum qværit & ut habeat illud ferri miniſterio utitur. Qvis non divitias ſectatur per tot pericula tam terra qvam mari, qvæ tamen facile pereunt.

5. Habeo præſens ejus rei documentum; Navis enim noſtri amici cum ingentibus opibus ſubmerſa, uno momen-

to

to omnium noſtræ Civitatis ditiſſimum fecit pauperrimum.

6. Qvare ut impune iſta ſpernere poſſim pericula aurum ex agello meo eruo, qvem diligenter inter muſarum otia colo.

7. Et habeo homines domeſticos diligentiſſimos, qvorum opere feliciter utor, cum qvibus libentius olus prandeo, qvam cum Regibus omnes ingenioſæ gulæ delicias.

8. Summa qvidem hic frugalitate vivo. Sed deſunt interdum neceſſaria ſubſidia, qvibus tu ſuccurris, ſi mutuo dederis &c.

9. Accedit præterea magnum onus domeſticum filia nubilis, qvam ſi commendare viro probo poſſis, magnam à me gratiam iniveris.

Exemplum III.

a, ſcribenda:

Nunciat, *1. Reginam Poloniæ defunctam, 2. Novas ſibi comparaſſe ve-*

veſtes, 3. Magnam ſalis inopiam eſſe in Livonia, 4. Canem relictam catulos peperiſſe, 5. Turcam arma moliturum contra Polonos, 6. Nuper Vicini ſui domum corruiſſe, 7. Nullum opificium ſordidius eſſe ſutorio.

b, Connexio.

2. Parum novi hæc tibi ſcribit epiſtola, niſi qvod (ſi ſcire operæ pretium eſt) nova & ſplendida veſte nunc induor, & qvidem in publico luctu.

1. Pullo enim habitu incedit Polonia ob Reginæ mortem.

5. Et qvidem hæc domi naſcitur calamitas, qvæ rarò ſola eſſe ſolet, nam & foris periculum à Turcico illo cane imminere creditur. Apparatus magni, numeroſus miles conſcribitur, qvi nunqvam in fœcunda hac natione deficit.

4. Nec minor carum illorum fertilitas eſt, qvam tuæ canis, qvæ uno partu ſeptem catulos peperit.

3. Occupabunt Barbarorum iſtorum incurſiones ſegetes, tollent commercia

&

& majori qvam hactenus salis inopia prementur Livoni, cum ad illos hinc transferre neqveunt. Taceo urbium direptiones & devastationes prædiorum & domuum eversiones perpetua bellorum tam atrocium incommoda. Nec erit hæc tam fundi nostri qvàm illorum qvæ fundo inædificantur calamitas.

6. Cui calamitati, metuo, ne infausto suo omini præludat vicini nostri nuper domus exstructa, qvam insolita & inaudita tempestas unà cum aliis prostravit.

7. Et hujus qvidem infelicitatem doleo, mihi autem gratulor, de sutoria officina destructa qvæ musis meis nimium vicina mephtico illas habitu afflabat.

Exemplum IV.

a, scribenda.

1. Exprobat intermissionem literarum. 2. Consolatur de filio amisso. 3. Deditionem urbis nunciat. 4. Svadet ne dedignetur oblatam Ludi-Magistri spartam accipere.

b, Con-

b, Connexio.

1. Parcus fuisti literarum sed in promptu tibi esse excusationem benè novi. Absqve hoc enim si fuisset exeqvias ivissem amicitiæ nostræ, qvas de tuo filiolo.

2. Scias autem mortuis deberi tantum memoriam, viventibus atqve amicis curam & Filius tuus (*inserantur argumenta consolatoria nec minus vulgaria, nec nimis nota*) habent & alii, qvod doleant sæpè tamen rariora.

3. Qvo enim credas animo urbem tam præclaram deditionem conditionibus satis duris tolerare. Puta multos, qvibus fixum vitæ genus non est, durius se habere. Vides tempora & sortem hominum variam.

4. Tu igitur non detrectabis honorificum Rectoris munus subire qvod offertur in urbe primaria. Est enim illud &c. *collaudetur munus Ludimagistri.*

Exem.

Exemplum V.

a, ſcribenda.

1. Incuſat literarum prolixitatem. 2. Laudat Aſtronomiam. 3. Nunciat magnum Principem defeciſſe de patria religione. 4. Medicinam & Gymiam extollit. 5. Svadet ne in bellum eat. 6. Gratulatur de Gradu Doctorali in Jurisprudentia acqviſito. 7. Petit, ut per ejus abſentiam, ſuam Bibliothecam ſibi patere patiatur.

b, Connexio.

1. Libenter alias ſumo literas tuas, ſed hac vice nimia verboſitate mihi turbarunt Circulos.

2. Planè enim operabor in archidivina Aſtronomia & illa potiſſimum parte, qvæ Ecclipſes competat. Pleraqve reſpondebant calculo, etiam in iis, qvæ ex elapſis reaſſumebant.

3. Sed in unius ſideris ecclipſi deficiebat. Miror id non prævidiſſe ſagaciſſimos Aſtrologos nec veniſſe ſub artem.

4. Pu-

4. Pudet igitur me inertis hu us artis & ab tempore magis cogitavi de certioribus Medicina & Gymia.

7. Qvæ ſtudia multum ſublevabit Bibliotheca, qvam mihi patere fac velis.

5. Qvod enim tu mihi autor eras ad vitam militarem, illud ex pacte tantum placet. Etenim & Medici ut idem cavillantur homines impunè jugulant, & cum carbonibus, nitro, ſulphure & Gymicis qvotidiè res eſt.

6. Et cur tu aliam viam egiſti, nuperqve Doctoralem Lauream, de qvo gratulor, admiſiſti. Certè & ii homines lingva jugulant & hoſtes imo amicos ſpoliant. Tu verò noveris eloqventiam ad hominum ſalutem datam non debere in eorum perniciem conferri.

Patet ex his exemplis qvomodo *Epiſtolæ Miſcellaneæ* ſint ſcribendæ, in qvibus nulla eſt adeo artis Rhetoricæ obſervatio. In cæteris epiſtolis, qvæ ad certum aliqvod Genus cauſarum referri ſolent, argumenta ſive enthymemata ex iis Locis debent peti, qvæ præſcripſit in

Rhe-

Rhetoricis *Aristoteles* & qvæ in singulis *Generibus ex Aristotele* ostendit, *Christophorus Schraderus in Disputationibus Epistolicis*. Nos verò hic prætermittemus illa resumpturi cum in *Parte Speciali* exempla propositurí sumus. Indicabimusenim in appositis exemplis qvæ & ex qvibus *Locis enthymemata* petenda sint idoneæ materiæ, de qva scribendum est.

CAP. VI.

De Locis Communibus Epistolaribus.



Um nulla sit Doctrinæ alicujus pars qvæ non *lectione* constet & *usu*, illa verò haberi non possit nisi accommodata operi habeamus instrumenta; qvæ diligenter observanda ac labore & industria qvadam recolligenda sint, ita & in hoc *studio epistolico* fieri æqvum est. Hoc enim cum præcipuè *imitatione* constet, *imi-*

imitatio reqvirat *exempla*, *illa* vero *lectio* subministret; *Lectio* autem nos sæpè ob varietatem rerum & memoriæ angustiam fallat, operæ precium sanè fecerimus, si *libellos* qvosdam *excerptorios*, qvos *Locos Communes* vocant, in consilium adhibeamus. *Excerpta* itaqve duplicis generis sunt: *Materiarum & Formularum*. *Excerpta Materiarum* ita disponantur: *1. Fiant Tituli secundum causarum Genera, 2. unicuiqve generi speciales Tituli subjiciantur.* Sic ad *Genus Deliberativum* pertinent *Hortatoriæ, Petitoriæ, svasoriæ, Communicatoriæ, Consolatoriæ, Officiosæ*, &c. Ad *Genus Demonstrativum, Gratulatoriæ, Laudatoriæ, Reprehensoriæ, Gratiarum actoriæ, Dedicatoriæ* &c. Ad *Genus Judiciale, Expostulatoriæ, Qverulæ, Indignatoriæ. Commendatoriæ.* Ergo e.g. si seligatur epistola Gratulatoria, consigna sub illo titulo primum epistolas, quæ ejus argumenti apud Ciceronem occurrunt. Si accuratius procedere velis, separa cætera argumenta publica à privatis

vatis & domesticis, & facile etiam invenies, licet confuderis. Sub hoc *Gratulatoriarum* genere jam collegit *Melchior Junius* in *Scholis suis epistolaribus* quæ inveniuntur apud *Ciceronem* exempla. His tu adde qvæ *ex Plinio* aut *Recentioribus* addi possunt. *1. Gratulatoriæ,*

De recuperata valetudine apud Muretum Lib. I. epist. 43. 54. 56. item *Lib. 3. ep* 16.

De Genero bono apud Plinium Lib. VI. epist. 26.

De uxore bona apud eundem Lib. IV. epist. 19.

De otio senectutis apud eundem Lib. IV. epist. 23.

De cura viæ Æmiliæ demandata apud eundem Lib. V. ep. 50.

De Discipulorum profectu apud eundem Lib. VI. epist. 12.

De valetudine recuperata ad Cardinalem Richelium Balzacius in epistolis selectis latinis pag. 216.

De empta domo Muretus Lib. III. ep. 34.

De Discipuli in studio eloqventiæ profectu Muretus Lib. III. 43.

De dignitate Cardinalitia Manutius Lib. I ep. 1.

De Episcopatu Lib. I. epist. 2.

De Legatione Anthonio Augusto delata, veritus ne bonæ literæ ejus absentia jacturam faciant. *Manutius Lib. II. epist. 9. de reditu ad eundem. Manutius Lib. II. epist. 10.*

Amico de publici status felicitate Idem Lib. III. ep. 22.

De Magistratu Franz. Modius ep. 16.

De officio Scholastico, Modius ep. 41.

De discessu in alium locum cum adjuncta qværela, Acidalius ep. 39. & 40.

Responsionum exempla ad Gratulatorias.

Ad Gratulationem de recuperata in urbe dignitate & novis nuptiis *Cicero Lib. IV. epist. 14. de honoribus Cicero Lib.* IIX. *ep. 6.* de auguratus dignitate *Plinius Lib* IV. *epist.* 8. De deposita dicendi provincia *Muretus lib.* I. *ep.* 48.

(2) *Gra-*

(2) *Gratiarum actoriæ.*

Exempla Ciceroniana collecta vide apud *Melchiorem Junium*. De commodato Libro *Acidalius ep.* 4. De Monstrata ad eloqventiam via *Muretus lib.* III. *epist.*42. Pro beneficiis præstitis *Muretus lib.*III. *ep.*83. Pro eo qvod humanissimè se acceperit *lib.*III. *ep.* 25. Pro præpositis beneficiis, *idem ep.*43. Pro munere misso *idem lib.* I. *epist.*90. Pro causa amici diligenter acta, *idem lib* I. *epist.* 96. Pro commendatione *Acidalius epist.* 5. & 7. De munere pro dedicatione Libelli *Acidalius epist* 77. Pro receptione in amicitiam, *Acidalius ep.* 22. & 56. Pro literis rectè curatis *Acidalius ep.* 25. Pro Turdis missis *Plinius lib.* 5. *epist.* 3. Pro liberto in gratiam recepto *Plinius lib.* 9. *ep.* 24. Pro laudatione in libro aliqvo *Plinius lib.* 9. *epist.* 31. Pro literis ad se scriptis *Manutius lib.* I. *ep.* 3. Pro honorifica sui mentione ad Cardinalem *idem lib.*II. *ep.*12. Pro laudibus in se collatis *Manutius lib.* II. *epist.*12. Pro munere misso *idem lib.* II. *ep.* 15. &

15. & *26.* Pro conſervatione ſua in officio. I*dem lib* III. *ep.* 1. Pro æqvo judicio *idem lib.*III. *ep.* 3 Pro conſolatione *idem lib.*III *ep* 43 *lib.* IV. *ep.*1. Pro ſalutatione *idem lib.*IV. *epiſt.2.*

Reſponſiones ad Gratiarum actiones.

Exempla vide apud *Ciceronem lib.* II. *epiſt.*18.*lib.V.epiſt.*11.*lib.X. ep.*19. *Muretum ep.*77. & 91. *lib.* III.*p.* 26,34,84.

(3) *Laudatoriæ.*

Nonniſi cum aliis mixta extant apud *Ciceronem* qvæ vide apud Plinium. Laus Æliani à parentum ſplendore, pulchritudine, honoribus, divitiis *Plinius lib.* I. *ep.* 14. Laus Pompeji Saturnini ab acumine in cauſis agendis à verſuum & epiſtolarum elegantia *Plinius lib.*1.*ep.*16. Laus Bythinii qvod amico ſtatuam poſuerit *Plinius lib.*I.*ep.*16. Laus Philoſophiæ *Plinius lib.*I. *epiſt.* 10. Laus Athſenodori *Plinius lib.* III. *ep.* 11. Laus magnificentiæ in exſtruenda porticu *Plinius lib.V. epiſt.* 12. Laus ſtudii Theologici *Muretus lib.*III. *epiſt.*

*epist.*42. Laus Tragœdiæ *Muretus lib* III. *epist.* 50. Laus Versuum elegantissimorum *Muretus lib.* III. *ep.* 67. *lib.* I. *epist.* 93. Orationum *Muretus lib* I. 56. operis ab aliqvo scripti *Muretus lib.* I. *ep.* 97. Petri Bembi *idem Lib.* II. *ep.* 11 Nizolii *Manutius lib.* II *epist.* 4. Adolescentis ingenui & eruditi *Manutius lib. IV. ep.* 14. Consiliarii à probitate & eloqventia *Manuzius lib.* IV. *epist.* 4. Juris Consulti qvod Philosophiam studiis suis junxerit *Manutius lib.* IV. *ep.* 5.

Responsoriæ ad Laudatorias.

Vide *Muretum lib.* III. *epist.* 1, 2, 12, 28. *lib* I. *epist.* 31, 97. *Plinium lib.* III. *ep.* 11. *Modium epist.* 93. *Puteanum in promulside ad laudem eloqventiæ, uti & lib.* II *epist.* 4. & 23 *Balzacius lib.* I *ep.* 1. ubi respondet ad laudes à Poeta qvodam sibi tributas qvæ epistola est perelegans.

(4) *Epistolæ reprehensoriæ.*

Exempla Ciceroniana vide apud *Melchiorem Junium.*

(5) *Epistolæ Conciliatoriæ.*

Exempla Ciceroniana vide *apud Junium, Muretum*, ubi non paucæ extant ad se scriptæ ut *Alexandri Justiniani lib*.I. *epist*.14. Andreæ Duditii *lib*. I. *epist*. 68. Truterii *lib*. I. *ep*. 25. Canterii *lib*.I. *epist*. 42. Chytræi *lib*. I. *epist*. 80. Giphanii *lib*.I. *epist*. 73.

Responsionis ad Conciliatorias.

Exempla apud *Muretum lib*.II. *ep*. 27. *lib*.I. *ep*. 15. *lib*.II. *ep*.33. extant.

(6) *Dedicatoriæ Epistolæ.*

Exempla Ciceroniana habet *Junius*. *Puteani* exempla uno Volumine congesta sunt & prodierunt sub Titulo: *Pompæ Prosphonetica*. Exempla alia singularia apud Autores occurrentia seorsim notentur.

(7) *Epistola Commentatoriæ.*

Exempla Ciceroniana vide apud *Junium, Muretum lib*.I. *ep*. 11, 19, 44, 45, 48. *lib* III. *epist*. 90. *lib*. I. *epist*. 67. 68. *lib*. IV. *epist*. 6. Commendatio ad locum vacantem *Muretus lib*.III. *epist*. 58. Commendatio ad conseqvendum debitum *Manutius lib*. I. *epist*. 29.

Re-

Responsoriæ.

a, qvando commendanti Amico gratificamur Ciceroniana habet *Junius* vid. *Plinium lib.* VI. *epist.* 12. *epist.* 9. *lib.* IV. *epist.* 17. *Muretum lib.* I. *ep.* 49. *Manutium lib.* II. *ep.* 20.

b, qvando non gratificamur exempla apud *Ciceronem lib.* X. *epist.* 12. ubi se excusat Planco qvod ei in Consulatus petitione non adfuerit in aliis rebus sua illi officia deferens.

(8) *Hortatoriæ.*

Ciceroniana habet Junius, ad comparandam per studia immortalitatem *Plinius lib.* I. *epist.* 3 ad studium & venationem *Plinius lib.* I. *ep.* 6. ad gratitudinem & modestiam *Plinius lib.* I. *ep.* 19. ad audiendum Rhetorem Nisæum *Plinius lib.* II. *epist.* 3. ad adeundam hæreditatem paternam *Plinius lib.* II. *ep.* 4. ad editionem versuum *Plinius lib.* II. *epist.* 10. ad temperantiam in morbo *Plinius lib* III. *epist.* 1. ad opus aliqvod perficiendum *Plinius lib.* III, *epist.* 7. ad studium literarum *Plinius*

nius lib. IV. ep. 16. ad publicationem scri-
pt rum *Plinius lib. V. ep.* 11. ad reditum
in urbem *Plinius lib:* VII. *ep.* 3. ad descri-
bendum bellum Dacicum *Plinius lib.* IIX.
epist. 3. ad Maximum ut Civitates Acha-
jæ humaniter tractet *Plinius lib.* IIX. *ep.*
24. ad editionem scripti *Plinius lib.* IX.
epist. 1. ad indulgentiam erga Filium *Pli-
nius lib.* IX. *ep.* 12 ad divulgandas episto-
las *Muretus lib.* I. *ep.* 30. 53. ad studia co-
lenda *Muretus lib.* I. *ep.* 58, 59, 60, 61. ad
conversationem cum bonis *Muretus lib.*
I. *epist.* 62. ut bono ingenio rectè utatur
Muretus lib. I. *ep.* 63. ad jungendam Poë-
sin cum literis gravioribus *Muretus lib.* I.
epist. 93. ad suscipiendum munus Eccle-
siasticum *Muretus lib.* I. *epist.* 86. ad Græ-
cos autores legendos *Muretus lib.* I. *epist.*
94. de contemnendis obtrectatoribus
lib. II *ep* 8 ad pertexendum opus *Mure-
tus lib.* III *epist.* 41, 68, 74. ad eloqventiam
Manutius lib I *ep.* 4, 10, 11. ad opus perfici-
end m *Manutius lib* II. *epist.* 6, 9, 21, 24. ad
judic a colenda *Manutius lib.* II. *epist.* 30,
31. *lib.* III. *epist.* 2. ad studia cum amore di-
vino

vino jungenda *Manutius lib.* IV. *epist.* 7. ad curandam valetudinem *Manutius lib.* I. *epist.* 9 *lib* III. *ep* 7.

Responsoria.

a, cum assentimur, exempla vide apud *Plinium lib.* I. *epist.* 1. *lib.* II *ep.* 19. *Muretum lib* I. *ep.* 1. *Manutium lib.* II. *epist.* 5. *lib.* III. *epist.* 55.

b, qvando recusamus exempla apud *Ciceronem lib.* V. *ep.* 15. *Plinium ep.* 6. *lib.* I. & *lib.* IX. *ep.* 10. *Manutium lib.* I. *epist.* 5. *lib.* III. *ep.* 40.

(9) *Svasoriæ.*

Hæ potissimam partem cum hortatoriis conveniunt. Ad aliam alicui despondendam *Plinius lib.* I. *epist.* 14. ad filiam alicui in disciplinam dandam *Plinius lib.* III. *ep* 3. ad Poetas legendos sed versus non scribendos *Muretus lib.* I. *ep.* 65 ad communicationem faciendam *Muretus lib* I. *ep.* 31. ut librum edat. *Manutius lib.* II. *ep.* 18.

(10) *Dissvasoriæ.*

Exempla *Ciceroniana* vide apud *Junium.*

nium. Loci mutationem & otium disſvadet Socrates *Mureto lib.*III. *ep.*32.

Reſponſoriæ.

Vide exempla apud *Ciceronem lib.*IV. *epiſt.*11. *lib.*XI. *ep.*29.

(II) *Petitoriæ.*

Exempla *Ciceroniana* vide apud *Junium.* Pro comparando Libro *Plinius lib.*I. *ep.*24. pro comparando Pædagogo *Plinius lib.*IV. *epiſt.*15. pro depingendis imaginibus *Plinius lib.*IV. *ep.*28. ut Romam veniat *Plinius lib.*VI. *ep.*6. ut in gratiam aliqvem recipiat, *Plinius lib.*IX. *ep.*21. ut ſe alicui excuſet & commendet. *Muretus lib.*I. *epiſt.*34. ut verſus aliqvot conſcribat *Muretus lib.*I. *ep.*38. Nationes Germaniæ ut Bataviam veniat ad docendum jus *lib.* II. *ep.*75. De annuis penſionibus juſto tempore ſolvendis *Muretus lib.* I. *ep.*84. De libro aliqvo emendo *Muretus lib.*IIX *ep.* 3, 39. De communicatione qvarundam antiqvitatum *Manutius lib.*II. *ep.* 7. pro typis fundendis *Manutius lib.*II. *ep.* 32. ut Librum aliqvem deſcribi curet. *lib.*III. *epiſt.* 4. ut opus aliqvod

qvod perficiat *lib.* III. *ep.* 9, 10. ut gratuletur amico de conditione.

Responsoriæ.

a, cum petito locum damus, exempla vide apud *Plinium lib.* I. *ep.* 8. ad petitionem de scriptis mittendis *lib.* I. *epist.* 14. ad petitionem ut filiam fratris despondeat *lib.* II. *epist.* 18. de Pædagogo qværendo *lib.* III. *ep.* 8. & 12. se venturum ad cœnam. *lib* III. *epist.* 15. de emendatione versuum *lib.* IV. *epist.* 1. de reditu in patriam *Manutius lib.* II. *ep.* 41. Se Parmam venturum *Manutius lib.* II. *ep.* 16. ejusdem argumenti *lib.* II. *ep.* 13.

b, cum non damus, exempla vide apud *Plinium lib* I. *ep.* 7. *lib.* II. *ep.* 12. *Muretum lib.* III. *epist.* 76. qva declinat vocationem Batavicam, vide & epistolam seqventem & *lib.* I. *ep.* 26. ubi se excusat de conditione qvam invenire non possit. *lib.* I. *epist.* 39. Excusat se de non scriptis Versibus *lib.* I. *ep.* 66. recusat vocationem Regis Poloniæ *Muretus lib.* I. *ep.* 81.

(12) *Communicatoriæ.*

Exempla *Ciceroniana* habet *Junius.*

De oratione vulganda *Plinius lib*. I. *epist*. 20. de oratione publicanda *Plinius lib*. II *ep*. 19. de advocatione qvadam suscipienda *lib*. III. *epist*. 4. de prædiis vicinis emendis *lib* III *ep*. 19. de Pœna vel absolutione qvorundam *lib*. IX. *ep*. 14. de libro dedicando Muretus *lib*. I. *ep*. 8. de Locorum qvorundam intellectu apud Aristotelem Muretus *lib*. I. *epist* 40.

Responsoriæ.

Plinius lib. I. *ep*. 23. de causis qvibusdam agendis *lib*. VI. *ep* 27. *lib*. VII. *ep*. 18. de pecunia custodienda *Muretus lib*. I. *epist*. 34.

(*13*) *Consolatoria.*

Exempla *Ciceroniana* vide apud *Junium*. In obitu Amici *Lypsius Centur*. *III*. *ep*. 5 *Centur*. *V*. *Misc*. *epist*. 100. in obitu aviæ *Lypsius Centur*. *III*. *ad Belgas ep*. 26. In obitu Filiæ *Lypsius Centur*. *IV*. *Miscell*. *ep*. 29. Filii, *centuria singulari ad Germanos epist*. 2. *Centur*. *II*. *ad Belgas epist*. 28. *Centur*. *III*.

III. ad Belgas epist. 5. Fratris, *Lypsius Cent. V. Miscell. epist.* 29. 86. Generi, *Lypsius Cent. V. Miscell. ep.* 86. Matris *Lypsius Centur.* III. *ad Belgas epist.* 5. *Cent. V. Miscell ep.* 72. Nepotis *Lypsius Centur. V. Miscell. epist.* 97. Patris *Lypsius Centur. V. Miscell. epist.* 6, 20, 32. *Centur.* III. *ad Belgas ep.* 33. *Centur. IV. Miscell. epist.* 48. Sororis *Lypsius Centur. IV. Miscell. ep.* 30. Soceri *Cent. IV. Miscell. epist.* 48. Uxoris, *Lypsius Cent.* I. *epist.* 67. *Cent. ad Belgas epist.* 19. *Cent. V. ad Belgas ep.* 21. *Centur.* IV. *Misc. ep.* 21. In rebus adversis *Lypsius Cent.* I. *ep.* 51, 81. 86. *Cent.* II. *ep.* 4. & 53. *Cent.* IV. *Miscell. ep.* 47. In amissione Librorum *Lypsius Centur.* II. *epist.* 60.

Responsoria.

Exempla *Ciceroniana* habet *Junius Manutius lib.* III. *ep.* 47. respondet Consolatoriæ epistolæ *Mappai*,

(14) *Mandatoria.*

Ciceroniana habet *Junius*. Hujus generis pleræqve sunt *Bembi epistolæ Leonis X.* Pontificis nomine scriptæ item *Latini Latinii.* Manutius *lib.* II. *epist.* 29. de Horologio emendo scribit.

(15) *Disputatoria.*

Materiæ hic variæ sunt & occurrunt apud *Ciceronem* non paucæ ejus generis, sed eæ non tam ad epistolas spectant. Exempla apud *Plinius lib.* IV. *epist.* 30. *lib.* VII. *epist.* 27.

(16) *Expostulatoria vel Accusatoria.*

Exempla *Ciceroniana* vide apud *Junium*. Apud *Julium Cæsarem Scaligerum epist.* 60, 61, 62, 63. Exprobratio ad desertam religionem *Casaubonus ep.* 286.

Responsoriæ ad expostulationes.

Exempla *Ciceroniana* habet *Junius*. Ad expostulationem ad jocos malè acceptos Manutius *lib* III. *epist.* 2. Referendæ huc sunt epistolæ omnes *Satyrici argumenti & Eristici* qvorum multa exempla

pla inveniuntur apud *Erasmum in epistolis*. Vide plurimas epiſtolas *Adami Theodori Siberi* qvibus exagitat *Henrici Decimatoris Sylvam* qvæ mirè ſunt elegantes.

(17) *Qvarula*.

Ciceroniana habet *Junius*. De corruptis judiciis P*linius lib*.II.*ep*.14. de comitiorum ordine immutato P*linius lib*.III. *ep*.28.*lib*.IV.*ep*.25. de interitu Helvidiarum ſororum P*linius lib* IV.*epiſt*.21. de fragilitate humana *lib*.IV. *ep*.24. de obitu Tamii *lib*.IV. *epiſt*.5. de immatura morte Julii Aviti P*lin*.*lib*.*V*.*ep*.9. de morte puellæ P*lin*. *lib*. *V*. *epiſt*.16. de non exſtructo ſepulchro P*linius lib*. VI. *ep*. 19. de valetudine Vanniæ Plinius. *lib*. VII.*ep*.19. de obitu uxoris Plinius *lib* IIX.*ep*. 5. de obitu ſervorum ſuorum Plinius *lib*. IIX. *ep*. 16. De libro furtim ſibi ſubrepto Muretus *lib*. III. *ep*. 29. de variis occupationibus Muretus *lib*. III *ep*.31. de vitioſitate temporum Muretus *lib*.III *ep*.37. de morbo Muretus *lib*.III.*epiſt*.48. de morte Regis,

gis Muretus *lib.* I. *ep.* 29. de impedimentis itineri objectis Muretus *lib* I. *epist.*35. de neglecta occasione alicujus conveniendi Muretus *lib* I. *epist.*17. *Acidalius epist.*2,51,68,6 ,. de injuria sibi facta Muretus *lib* I. *ep.* 77. Qvod compellare aliqvem sibi non licuerit Muretus *lib.* II. *ep.* 11. de contemptu literarum in Italia Acidalius *epist.* 15 de abitu alterius Acidalius *epist.*39. de opere suo se inscio edito. Acidalius *ep.* 57. de misero Patriæ statu Modius *ep.*84 de morte viri docti, Modius *ep.* 11, 66, 71. de temporum imbecillitate Modius *ep.* 44. de morte Cardinalis Manutius *lib.* I. *ep.* 3. de morte Bunelli Manutius *lib.* I. *ep.* 16 de morte fratris sui & uxoris morbo Manutius *lib.* I. *ep.* 5. de Remora itineris Manutius *lib.* I. *ep* 14. de injuriis hominis neqvam Manutius *lib.* II. *ep.*2 de dissensione inter se & amicum *lib.* II *ep.*22

Responsoriæ.

Ciceroniana exempla habet *Junius.* Ad qværelam de libro subrepto Muretus *lib.* III. *ep.*30. ad qværelam de variis occupa-

cupationibus MURETUS *lib.* III. *epist.* 32. ad qværelam de barbarie in studiis Juris MURETUS *lib.* I. *ep.* 24.

(18) *Comminatoriæ.*

Exemplum est apud *Ciceronem lib.* I. *ep.* 11. in qva *Metellus Ciceroni* comminatur ob fratri injuriam infectam.

Responsoriæ.

Exempla apud *Ciceronem lib.* V. *ad familiares ep.* 3. *lib.* XI. *epist* 3. *in illa* Metello *Cicero, in hac Brutus & Cassius Anthonio respondent.*

Nunciatoria.

Exempla Ciceroniana habet *Junius*, apud Plinium sunt *lib.* I. *ep.* 5. *lib.* II. *epist.* 11, 20. *lib* IV. *ep.* 11. *lib.* V. *ep.* 1, 14. *lib.* VI. *ep.* 16. *lib* VII. *ep.* 10, 24. M*anutium lib.* II. *epist.* 21, 28 *lib* III. *ep.* 6. M*uretum lib.* I. *ep.* 92, 72. *Acidalium ep.* 15, 34, 36.

Hunc ferè in modum instituenda est *collectio argumentorum in Locis Communibus epistolaribus.* Si qvis velit luculentiorem inter materias ordinem, qværere potest, qvanqvam & hoc cum molestia aliqva conjunctum. Nam difficili negotio

tio vel confusè posita in oculos incurrenr, ubi ordinis neglectus commodo est. Poterunt etiam è *Scriptoribus peregrini idiomatis elegantioribus* illam notare, qvia & illis interdum in lingva latina uti possumus.

Altera *pars Locorum Communium epistolarium* consistit in *collectione formularum. Formulæ enim & enthymemata Oratoria* commodè inter se connexa absolvunt epistolam; qvare & interdum sub *Locis Communibus* argumentorum enthymemata etiam colligi possunt. Nam qvanqvam in singulis generibus fontes eorum dederit *Aristoteles*, specialia interdum tamen ex rebus ipsis nascuntur, qvæ non semper in mentem cogitanti veniunt. Qvod *formulas* attinet, laudabilem præstitit operam *Johannes Stockius in Libro qvem inscripsit Thesaurum epistolarum, Locorum & formularum*; Hunc aliqvis seqvatur in colligendis formulis svaserim, ita, ut interstinctæ chartæ puræ exempla similium inscribat. Collegit verò formulas ex opti-

optimis autoribus tam veteribus qvam recentioribus ordinè ſatis laudabili, qvanqvam & novis ſubinde titulis augeri poſſit. Si qvis *Lingvæ Gallicæ* peritus eſt, ſubjicere etiam ex optimis in illa ligva *Epiſtoliographis* formulas poteſt. Cum enim illæ mirificè ſint urbanæ, eam namqve dictionis virtutem præcipuè ſectantur *Galli.* Multa ex illis mutuari ſagacior qvidam poteſt, ita tamen ne genium Lingvæ Gallicæ cum latinæ lingvæ genio confundat, aut ex illis aſſumat auribus latinis alienum. Idem qvis ſed diſtincto libro tentare in Germanica lingva poteſt, qvanqvam hic raros habeamus Epiſtoliographos; Videndum ut è *Cancellariis aularum* aliqva exempla protrahamus. Collegit *& Eraſmus Roterodamus* in Libro *de ratione conſcribendarum epiſtolarum* ſub ſingulis generibus qvasdam *Sylvas*, ut vocat *exemplorum & formularum*, ſed pauca & confuſo ordine, nec memoratis autoribus. *Henricus Stephani in Diſſertatione de variis generibus epiſtolarum*

larum Ciceronis, qvædam etiam de formulis cujuslibet generis commentatur, sed ut mos ejus fert, confusa: Legi tamen possunt qvæ affert. Synæresin etiam qvandam inter formulas instituit cum *Ciceronis* (nam nonnunqvam Cicero una aliqva formula sæpius utitur, qvod exemplo aliqvo in epistola aliqva Consolatoria probat *Henricus Stephani*) tum *Ciceronianas cum Ovidianis* e. g. in exemplo Consolatorio ex *libris tristium*. Collegit & *Rupertus in Mercurio suo Epistolico* formulas è *Casauboni*, *Scaligeri*, *Lypsii* epistolis potissimum depromptas. Sed cum eorum pleræqve sint epistolæ familiares & dicantur imitatione acutâ factæ, qva delectantur inprimis eruditi, cum judicio illis formulis uti qvis debet. *Garkii* formulæ epistolares parum bonæ frugis habent, ac multæ illarum, nescio è qvibus lacunis haustæ.

CAP.

Cap. VII.

De

Imitatione in Epiſtolis ſcribendis.

CUm in omni ſtyli exercitio potiſſimam partem obtineat *imitatio*, merito etiam illa in epiſtolis ſcribendis attendi debet. Niſi enim, qvemadmodum pictores ad exemplum aliorum pingere diſcunt, ita nos ſtylum fingamus, operam atqve oleum perdemus. De hac jam ſupra aliqva diximus, nunc qvibusdam exemplis, qvæ generalia à nobis dicta ſunt demonſtrabimus. Ac primum qvidem anteqvam ad ipſius epiſtolæ ſcriptionem accedas ante omnia te exercebis *in formularum variatione*, notando qvam ipſe *Cicero* ſæpè unam, eandemqve formulam variet, qvam alii recentiores potiſſimum & qvidem præ aliis *Manutius formulas Ciceronianas* exprimant. Hinc ipſe ſimile qvid ten-

tat.

tat, qva in re exemplo tibi præibit *Erasmus lib.* I. *de copiæ verborum cap.* 31. Ubi has formulas: *Tuæ literæ me magnopere delectarunt, semper dum vivam tui meminero*; per decem & amplius paginas variationibus suis exornavit. Nos exemplum aliqvid proponemus ex illa formula *Ciceronis ad familiares lib.* I. *ep.* 8 *Tu velim tibi ita persvadeas nullam rem esse vel minimam qvæ ad te pertineat, qvæ mihi non carior sit qvam meæ res omnes.* Hanc formulam, si per copiam verborum ad *Erasmi* instar variare velis, qvantus tibi campus aperietur. Sed cum illa simplicior sit, nos *variationem Rhetoricam* instituemus & qvidem secundum *figuras Patheticas* ea serie, qva illas exposuit *Emanuel Thesaurus p.* 211.

1. *Cognitio.*

Qvod Rerum tuarum major mihi cura sit qvam mea, id tibi puto esse certis speciminibus cognitissimum. Dubitare te certè nunqvam sinam.

2. *Ignoratio.*

Qvanti tibi mea fides sit ignoro eqvidem,

dem, eam mihi esse scias velim, ut vehementius de tua salute laborem qvam de mea.

3. *Ostensio.*

En dextxam cum hoc calamo! en fidem cum hoc animo, qvi non tam suus qvam tuus est, & qvem nullæ tangunt curæ nisi tuæ.

4. *Narratio.*

Qvid alii tibi de sua fide narrent aut jactent parum tu ad animum revoca. Id scio. Surdis sæpè narrare fabulas, cum amicorum fidem imploramus; At hæc ego tibi narro non fabulas sed amici oracula, nihil mihi amicitia tua esse jucundius qvi fortunas tuas inter meas reputo, salute tua meam contineri existimo, cujus ego majorem qvam mei ipsius rationem sum habiturus.

5. *Informatio.*

Cur nihil nescis, id nunc à me docebere vel reclamantibus Philosophorum scholis, ne numero qvidem differre amicos ac nos, præcipuè cum te in mei velut possessionem dudum vocaverim.

Qvic-

Qvicqvid tu volueris,ita id volo, ut nec mea voluiſſe cupidius, qvicqvid juſſeris, ita exſeqvor, ut nec mea promptius exſeqvi poſſim.

6. *Affirmatio.*

Crede mihi,nihil eſt, qvod tua cauſa non velim vel me ipſum ſi juſſeris, odero ut amem tua.

7. *Negatio.*

Nunqvam fiet, ut à meo animo tuus vel latum ungvem dimoveatur. Pereant qvi inter nos divortium volunt. An unqvam per me jacuerunt deſertæ res tuæ. Nunqvam Citius mihi oculos, os manus negaverim, qvam ut *illos* ad nutus tuos cœcutire; *hos* ad juſſa tua obmuteſcere, *has* tibi compreſſas atqve deſides eſſe patiar. Qvi tuo ſpiritu magis vivo qvam meo,tuis oculis mihi magis proſpicio qvam meis, tuo ab ore pendeo, tuis manibus fulcior ac ſuſtentor.

8. *Ironia.*

Qvi ſuis utilitatibus ducuntur, ſuis in rebus gerendis, opibus coarctandis Continuarii Briaræi in aliorum auxiliis

vix

vix Scævolæ, eos amicos appelles scilicet, eos committas, si qvid rectè actum velis. Sint procul à nobis istæ virtutum & amicitiæ. A me eorum nihil metues, patet tibi cum animo fides, hominis magis tibi qvam sibi obnoxii, magis tuis qvam suis rebus invigilantis.

9. *Reticentia.*

De rebus tuis angeris? Me vide; in me recipio. Sapienti satis.

10. *Præteritio.*

Non dicam, qvanta in me tua semper sint merita. Vivunt tamen illa, ob oculos versantur, manibus palpantur, aures vellicant, animo insident; licet mearum citius rerum, adeoqve mei ipsius, qvam tui tuarumqve rerum adeoqve me capiat oblivio.

11. *Jusjurandum.*

Ne vivam nisi vivo tuus, Hos ego oculos tango, qvibus te fero; Hanc ego dexteram testor fidei meæ pignus: nihil me omissurum diligentiæ in rebus qvæ ad te pertinent, vel cum dispendio mearum rectè curandis.

12 *Testatio.*

Qvid tui causa fecerim tuæ magis de- [illegible] vam testantur literæ Qvid porrò facturus sim faxo, ut rerum potius ipsius qvam meo testimonio constet, ubi enim in rem præsentem venero, ita ad ea, qvæ sunt è re tua animum advertam ac si nullo in momento res meas sim possiturus.

13. *Animadversio.*

Accedam ad res tuas curandas: nam meæ sunt, meæ sunt, qvia tuæ. Tu amicum me habeas? Sed mentem sed rerum suarum satagentem. De amici rebus securum? Adeone tua tibi vel diffidentia vel modestia imponit ut fidei amici nihil committas, nullum humeris ejus onus imponas?

14. *Parenthesis.*

Si me amas, amas autem qvàm me maximè (non committas ut ab alio) alii enim alia magis & sua qva tua curabunt (res tuæ curentur, qvi non ut alienas) nihil enim inter amicos alienum est, sed ut meas, & plus qvam meas planeqve ut tuas curabo.

15. *Cor-*

15. *Correctio.*

Tantum non mihi eſt à rebus meis otii aliena ut curem, ſed curo tamen tua. Imo hæc non ſunt aliena ſed mea. Sed ego illa curo plus qvam mea, qvo tu plus oculis iſtis à me ipſo mihi charior.

16. *Repetitio.*

Qvoties tuas mihi literas mittis, toties Præconis cujusdam vocem audire videor. Qvi mihi ſuum hoc age inculcet, hoc ſcilicet age, non qvod tuum eſt, ſed amici negotium. Qvod ideo magis tuum eſt, qvia non eſt tuum ſed amici negotium.

17. *Admiratio.*

Pape, qvam tu mirabilis homo es! novum hoc monſtrum mihi eſt, nova in amico in familiari verecundia. Tam intempeſtiva modeſtia Non audes in me rejicere tua negotia, cui nihil magis eſt in votis, qvam ut tua impleat vota, atqve in tuis ſua.

18. *Exclamatio.*

O fortunatum illum felicem illum diem qvo tu negotiorum tuorum me fa-

 cis

cis participem, jam demum te verè amo, qvia te me amare video, ut fidei meæ aliqvod ſpecimen reqviras, qvam ita tibi totam cum animo ipſo addico, ut nec ipſe in aliqvam ejus partem admitti velit.

19. *Exaggeratio.*

Qvis credat tanti tibi nomen noſtrum eſſe, ut negotio tuo tam arduo conficiendo homuncionem hunc præficere non dedigneris. Ego verò tanti beneficii memor, omnem ei rei curam, operam, diligentiam, nervos, vires, vitam ſpiritum ipſum impendam.

20. *Extenuatio.*

Res tuas benè ut curem rogas. Qvid hoc rogare ridiculum eſt. Hominum, tui amantiſſimum, ſtudioſiſſimum. Tu ergo qva polles autoritate imperare potes, qvo flagras amore debes, jube, impera, tuus ſum; mancipii tibi jure acqviſitus: qvanqvam & tuæ mihi preces, qvemadmodum magnatum ſunt imperia. Nunc cum me rogas, currentem incitas, qvi tui ut maximum habeo re-

verentiam, ita majorem rei tuæ gero curam qvam meæ.

21. *Memoratio.*

Memorem mones amice, etiamnum hærent mihi in animo tua jussa, ac tum mei ipse memor ero, hærebunt, Citius enim mei, ipsius qvam tui tuarumve rerum, qvas diligentissime curabo, mihi oblivio abripiet.

22. *Præsagium.*

Qvæ mihi mandatis dedisti, ea qvæ debeo tibi exeqvor, & jam nescio qvid mihi animus præsagit boni, fore ut qvamprimum ad vota tua, imo supra illa expediantur. In me qvod accredas mihi velim, mora non erit ulla. Id enim prædico tibi habiturum te qvidem aliqvos, qvi res tuas ea, qva suas, diligentia, neminem, qvi majori qvam suis impedit, curaturus sim.

23. *Dubitatio.*

Tene audiam potius qvam me dubito. Tu rebus tuis recte curandis me præficere vel non vis, vel non audes. Ego verò volo, & si me audis, tibi ut

mihi qvæ vis imperes, impero. Res enim tuas diligentius qvam meas curabo. Amici non ſumus, ſi tu an imperes ego an faciam dubitemus. Neqve tu fidem meam in dubium, ſcio vocabis, nec ego tuam fiduciam.

24. *Inqviſitio.*

Nunc ego qværo abs te, qvare alii potius qvam mihi res tuas curandas commiſeris? Qvando me vel infidum vel negligentem in rebus tuis inveneris qvi plerumqve à meis qvam à tuis ſum omiſſior, juſtàs certè conqverendi adverſus te cauſas habeo. Actio inſtituetur. Tu mihi & reus & judex eris. Niſi te ipſum condemnaveris, cave ne te condemnem. Centum enim epiſtolarum mihi multam ſolvas, anteqvam te abſolvam

25. *Interrogatio.*

Ain vero? Non te mihi gravem fore tuis negotiis? an hæ amico an te, an me dignæ voces ſunt? Qva tu mihi fronte hæc occinis, qvo animo? an mea tibi vides ſuſpecta? An tua ego nunqvam ſe-

ſegnius curavi? An meæ ſunt tot occupationes ut tuis excludar? Fuitne ſemper major apud me in tuis qvam in meis rebus ſollicitudo? Qvis obſeqvio, officiis, induſtria promptior? Reſponde ſi vir es, defende te, ſi amicus?

26. *Reſponſio.*

Visne ut in me moles hujus negotii recumbat? En Atlantem, qvi ferat animo intrepidum nec latere infirmum. Vis hominem induſtrium, diligentem? En tibi qvi omnia tua ita geret, reget, gubernabit, ut nihil à te ipſo amplius exſpectes.

27. *Interpretatio.*

Amicus tuus ſum, id eſt, res tua uterē illa prout libet. Verbo innue occultos interpretabor ſenſus, optimus amicus amici interpres es, id eſt omnia qvæ vult ille volet alter Manus alter alteri commendabit, ora, animos. Res amici curabit plus qvam ſuas.

28. *Occupatio.*

Ergone nullum fuit è tot negotiis qvæ inter amicos qvaſi dividas, cui me ad-

moveres? jam ſcio, iterum veterem cantilenam mihi occines, tot negotiis circumſideris ac penè opprimeris, ac nova qværis. Nolo facilitate tua abuti, nolo publicis detrahi, qvæ meis impendo tempora. Tu vero aufer mihi iſtas excuſatiunculas, Non ita aulæ ſervio, ut inſervire amicis vel nolim vel non poſſim. Totos citius dies, omnes, qvæ ſuperſunt, horas, omnia momenta aulæ ac mihi eripiam ut tibi tuisqve rebus impendam. Aulam deniqve res ſuas habere ſibi malim, qvam ut à tuarum mihi rerum cura ſit diſcedendum.

29. *Fictio.*

Qvod rerum tuarum curam mihi imponis gaudeo: Committe huic homini, omnia finge ex tuo ingenio promptum, alacrem, officioſum. Argum me finge qvi centenis oculis vigilet. Briaræum finge, qvi centum manus ad opus tuum affert Non fallant ſpes tua ac vota. Mea etiam vota meumqve genium fraudaturus, ut tua impleam deſideria, tuæ me accommodem voluntati. Finge deniqve

niqve novam aliqvam mei in te metamorphoſin, ſic idem tecum & plus qvam tu ipſe & cupiam & exſeqvar.

30. *Imaginatio.*

Jam videor mihi, te vivere moroſulum, meditabundum, circumſpicientem omnes angulos, circumcurſitantem omnes plateas, prenſantem amicos, qvos in negotio tuo expediendo conſulas. At me non reſpicis. Qvin dic, qvid velis. Illud mihi Pythagoræum αὐτὸς ἔφα αὐτὸς ἐποίησεν. Ni enim ego, qvicqvid tu dixeris, ita effectum dederim, ut ipſe non poſſis accuratius omnem apud te fidem decoxero.

31. *Expreſſio.*

Ego tuas res non curem plus qvam meas? Si Jovis qvadrigas inſcenderis aut Diogenis accenderis lucernam, parem in alio fidem fruſtra qværas. Manibus pedibusqve ſaxum tuum hoc volvo. Uno omnia Spiritu ſi poſſem negotia exhauſturus. Si mihi centum lingvæ eſſent, centies tibi hæc inculcarem, nihil eſſe qvod non tui cauſæ cuperem;

Si Centimanus essem Briaræus vel centies effecta darem, qvæ semel tu facta cupis.

32. *Prosopopœia.*

Si charta hæc consiliorum meorum particeps loqvi tecum posset, qvæ vellet, candorem tibi nostrum vel ipso colore suo confessa desideria nostra panderet, qvibus in obseqvia tua rapimur. Si ipsa fides hæc scriberet, me puto rebus tuis unicè commendarem.

33. *Apostrophe.*

Agite ergo, ite literæ nostræ ad virum nostrum amantissimum; Ite atqve hæc ei in aurem: Heus tu, si qvid curatum velis, huic tu homini curandum datò.

34. *Ratiocinatio.*

Nulla mei tibi cura est, qvid ita rogas? Qvia nulla mihi vis esse tui tuarumqve rerum curam. Ego verò rogo te non-solum sed & pro jure meo contendo, ut mearum partem me admittas. Debes enim qvia Amicus. Velle debes, qvia fidei meæ certus. Ejus puto non pauca habes specimina. Qvid enim? annon sem-

ſemper ita curavi res tuas, ut nec tu ipſe poſſis diligentius.

35. *Concluſio.*

Amicus meus es: Ergo fac, ut de videam, non nomine ſed opere ipſo talem. Feci inqvies. juvi qvibus potui, re, opera, conſilio. Sed heus ô bone, mutuus amicorum amor eſt Ergo & reciproca ſint officia. Niſi enim reſpondere officiis me velis (cupio certè qvam qvi maximè) cum omnia mei cauſa agis, nihil agis ac ipſo beneficio es ingratus.

36. *Epiphonema.*

Ego cum in omnibus & conſilium & operam tuam reqviram; ita omnia agis mea, ut nec ipſe diligentiam meam reqviram. ego verò cum tui cauſa omnia agere velim, ne minima qvidem in re noſtrum deſideras officium. Iſta qvidem vis, aut ut mollius dicam, fraus eſt, Heu! qvam eſt miſerum ita vivere ut ſi vel maxime nolis, vivas tamen ingratus! qvam eſt hoc in amicitia ambitioſum! addo, qvam callidum! ut ſolus benè mereri videaris, amici excludere officia.

 37. Com-

37. *Compendium.*

Nihil eſt, qvod tibi tuarumqve rerum commodo impendere nolo. Nihil adeò mihi dulce eſt & ſvave, qvorum ego jacturam non facere malim, qvam ut tuæ amicitiæ per negligentiam meam vim inferat, plenum tibi in operas, res, conſilia, fortunas, ſalutem, vitam deniqve meam jus tranſcribo. Atqve ut paucis multa dicam, tibi toti me totum.

38. *Perplexitas.*

Qvid agam? Hinc animum timor diſtrahit. Hinc amor Illinc mea etiam commoda. Hujus ego Jovis in me fulmina temerè concitare nolim. Te ut iratum mihi habeam? Sanctæ amicitiæ lex prohibet. Commoda mea ut negligam? Amici uxor, liberi intercedunt. Qvid velim ego nolimve neſcio. At certè tui cauſa vel cum ſalutis meæ diſpendio velle omnia debeo.

39. *Approbatio*

Idem iſtud eſt amicum eſſe! O factum benè! beatum me tuis literis, qvibus rerum tuarum curam mihi imponis. Jam

te

te amicum esse sentio. Tuqve me eum faxo, sentias, cui statutum est omnia ferre ac pati, qvam ut in te & in fortunas tuas iniqvius aliqvid statuatur.

40. *Imperium.*

Hoc tibi edico severitate, plusqvam Prætoria, ne cuiqvam alii, qvam mihi res tuas commendes. Eam tibi legem jus amicitiæ ponit, sanctum, inviolabile. Ut parendi mihi necessitatem imposuit, plus in rebus tuis qvam in meis laboraturus.

41. *Admonitio.*

Qvid vis imperem, Dictum, factum. Vis ne curem res tuas? Meæ erunt. Unum illud repetens iterumqve monebo, ne mihi magis qvam tibi ipsi diffidas.

42 *Obseqvium.*

Non ero, ut ille in fabula ad mandata claudus cœcus, mutus, mancus, debilis. Qvæ enim apud Maronem ventorum Deus mihi tali in genere liceat, nec fumos vel ventos vendenti. Tuus est tu amice qvod optes;

explorare labor mihi jussa capessere fas est.

43. *Blanditia.*

Nunc amo te amice mi, ocelle jucundissime, cum me in negotiorum tuorum consortium admittas, qvi tuis emori malim, qvam meis immorari.

44. *Salutatio.*

Salvete mihi vel centies literæ, qvæ salvum mihi nunciastis amicum nostriqve memoriam, ut vos exosculor ut lego lubens. Nihil enim ista memoria mihi accidit svavius præsertim cum ea obseqviis officiisqve mutuis fovetur Qvæcunque etiam jussa feratis, ferte, mea semper reportaturæ obseqvia.

45. *Apprecatio.*

Dii te ament amicorum optime pro amore hoc in me tuo. Jam enim (qvod bonum faustumqve tibi mihiqve sit) totum expedivi negotium. Jam bene processisse mihi primum hujus amicitiæ specimen tui causa gaudeo, mei causa triumpho, qvi omnia moliturus sum, ne pœnitere te amicitiæ meæ possit.

46. *Veneratio.*

Gravissimum est, qvod fidei meæ commissi-

misisti negotium ac periculosæ plenum opus aleæ, videbo tamen ut illis difficultatibus te eripiam, nulla etiam supplicia formidaturus Deum veneror, ne tam præclaram bene demerendi occasionem mihi è manibus elabi sinat.

47 *Abominatio.*

O factum malè! annon pluris tibi sum qvam homo ille mercenarius, cujus tu fidei res tam arduas commisisti, aufer illi lucellum & aderit fides qvæ excedit loculorum amplitudinem. Certiora à me, qvam ab illo homine, rei tuæ præsidia exspectare potuisses, debuisses. Ut tuas enim erigerem res vel meas paterer desertas.

48 *Objurgatio.*

Verberavi te hactenus cogitationis duntaxat tacito convitio, nunc te palam objurgo Euclionem temporum, prædonem literarium, helluonem librorum, amicitiæ desertorem, causæ tuæ proditorem, qvi in tam arduo tuo negotio non tam tibi otii sumis ut amico res tuas commendes qvi certè diligentius qvam

suas

ſuas aut tu ipſe tuas geſturus eſſes. Dicam ne ego vel hanc tuam ſocordiam, vel ſuperbiam vel aſtutiam. Nam certè vel ſalutis curam tu abjeciſti, vel me huic rei ineptum eſſe exiſtimas, vel deniqve hoc tam pertinaci ſilentio artes qvasdam, qvibus vix ſui amicitia ſolet, alere mihi videris. Vel mores tuos muta vel amici nomen abjice.

49. *Irriſio.*

Vis ſcire qvid agam? Albis, qvod ajunt, dentibus te rideo qvi dignum abſtuliſti diffidentiæ tuæ præmium, cum amicum haberes, cui ſecurè crederes omnia, qvæſiviſti alios, qvorum vel malitia vel negligentia res in ſummum diſcrimen tuæ deductæ. Nunc eum nemini obtrudi poſſunt ad me itur. Diſce fidem noſtram monite & non temnere amicos! i nunc & impone illis negotia, qvi tam pulchrè tibi imponunt.

50. *Exectratio.*

Male ſit morbo illi, qvi me hactenus rebus & meis & tuis ſubtraxit, nunc poſtqvam ille à me receſſit ad me redeo, &

ad

ad te & tua. Homo qvantus qvantus ſum omni fide, officio, ſervitio tuus.

51. *Optatio.*

En erit unqvam
Ille dies mihi cum licet tua noſcere juſſa.

Totos ego menſes compreſſis manibus ſedeo: Totos ego annos exſpecto nec qvicqvam in literis tuis comparet, in qvo fidem periclitari velis, qvam tibi propriam perpetuamq́ ſpondet amicus.

52. *Vocatio.*

Ubi jam ſunt illi Aretologi, philoſopha ſua ſententia, ignava opera. Jam veniant ac viros ſe præſtent verbis adeo ſplendidi, nunc illi delitescunt, nunc qvisqvam eorum domi eſt. Tu ſi ſapis, veteribus amicis, quorum tibi ſpectata fides eſt, utere, inter eos me habes ſemper tuum, & organon ἔμψυχον In tua ſum poteſtate, & qvæ de tuis in mea eſſe vis, in tua eſſe non deſinent.

53. *Votum.*

Si qvid habes, in qvo amici fidem reqviris, en tuus ſum, ad aram fidei meæ nunc

nunc ſiſto, tibi victimam me voveo, tibi me totum omniaq; mea conſecro.

54. *Obſecratio.*

Non deſinam te fatigare precibus, ut mea tandem utaris amicitia, niſi ipſe habeas inutilem: Qvare afficias me injuria tibi ſupplico. Qvanqvam enim vulgus, ut vetus habet verbum, amicitias utilitate probat, vinculo tamen alicujus amicitiæ illæ contineri debent, ne collabaſcant.

55. *Commendatio.*

Qvi multos tibi commendare ſoles, nova apud te commendatione ipſe me egere video. Adeo enim mei oblius es, ut operam noſtram nulla inre deſiderare videaris, cum nullis libentius qvàm tuis rebus curam impendam.

56. *Conceſſio.*

Scribe modo. Tuis ego deſideriis ſubſcribam Nihil tam meæ poteſtatis erit ut non ipſe velim tuæ, omnibus qvibus potero officiis tibi commendaturus.

57. *Gratiarum actio.*

Gratias tibi ago, qvod magno me beaveris beneficio. Qvod enim majus amico beneficium contingere possit, qvam ad officia beneficiaqꝫ invitari. Utinam eorum aliqvam partem implere possem, qvæ ad te ornandum pertinent.

58. *Recusatio.*

Odi aulicos illos verborum apparatus, qvibus adversus amicum uteris, annon nostri Græcorum illud: ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ? Nolo blanditias. Jussa volo, qvæ qvo severiora, eo mihi blandiora. Qvo tu me minus rogas, eo promptiora me tibi erunt officia.

59. *Exultatio.*

Cum mea diligentia effectum tibi viderem, qvod tu flagitatas cupidissimè exultare lætitia ac triumphare gaudio cœpi. Et hunc ego è negotiis tuis fructum primus capio; Primum mihi qvod sit gaudium, tuum verò secundum. Qvam effectui meo prærogativam non invidebis, ut qvi studio ac efficiendi desideside-

fiderio me ipfum induftria præveni, tua qvoqve gaudia prævenirem.

60. *Jactantia.*

Nunc ego de rebus tuis benè à me geftis χαίρω. Hanc ego enim gloriolam in hòc amicitiæ certamine vindico nulli fide, diligentia conceffurus. Tu modo cave, ne tua vel diffidentia vel focordia, gloriæ huic noftræ qvicqvam detrahatur, qvam ita cuftodire cupio, ut fi idem mecum velis, res tuæ jaceant nunqvam.

61. *Gratulatio.*

Jam licet acclamem tibi feliciter, & mihi de feliciter expedito negotio, nec potes tam tibi ipfi aut alius tibi ita gratulari, ut ego mihi gratulor; atqve in finu de hac fèlicitate tua, qvæ & mea eft, gaudeo. Nihil enim mihi gratius unqvam accidet, qvam fi per meam operam grati aliqvid accidere tibi poffit.

62. *Plaufus.*

Plaude jam peracta tua eft fabula. Ego Rofcius in hac fcena perfonam tuam perbellè peregi, fucceffit è voto res. Qvid vis amplius? tibi plaudo & mihi. Ipfe

domi

domi ſimulac nummos contemplor in arca, qvos tibi induſtria mea extorſi. Plura tui cauſa vellem, ſi velles.

63. *Ejulatio.*

Hei mihi! adeone me à bona fortuna derelictum! ut tui cauſa efficere nihil valeam, qvi vellem omnia. Non eqvidem omnia poſſumus omnes in aulis præſertim in qvibus ab unius Jovis nutu pendent omnia. Sed & hic interdum ſemiliis & Satellitiis aliqvid licet.

64. *Exprobatio.*

Satisne cauſæ tibi eſſe putas ingrate, qvòd omne inter nos amicitiæ commercium ſolutum velis. Nam certè amicitiam mihi ſuſtuliſſe videris, qvi fomenta ejus tollis, ac iſta mutuorum officiorum ſolatia. Qvænam hæc ſatietas, qvod faſtidium te à nobis abalienat? Omnes alii etiam, qvos non ſatis noſti, à te habent, qvòd agant; Ego nihil qvi & animo levi ſum conjunctiſſimus & rerum tuarum gerendarum cupidiſſimus.

65. *Pe-*

65. *Pœnitentia.*

Jam penè me promiſſorum meorum pœnitet, cum tam ſegniter res tuæ mihi procedant, non mea qvidem ſed unius moratoris culpa. Hæc mihi qvetidiana ſunt ſupplicia Ipſa itaqve neceſſitas mihi manum injicit, ubi removero hæc obſtacula, ita res expeditas dabo, ut nec me pœnitere laboris & hujus ipſius tædii poſſit, nec te meæ amicitiæ.

66. *Spes.*

Bene te ſperare jubeo, in portu enim cauſa tua navigat, jamq; ad optatum finem res omnes ſpectant Jam gaudeo, impletas tibi eſſe à me ſpes tuas, qvas de me conceperis. Atqve ut ita ſemper ſperes rogo Ego illud operam dabo, ne ſpes tuas fides mea deſtituat.

67. *Deſperatio.*

Qvanta ſpe decidi! actum de amicitia noſtra eſt, animam agit, niſi tu ſuccurras. Ne qvid enim diſſimulem, non mediocriter animi angor, qvod ab alio qvam à me, cujus tu fidei credebas omnia, negotia velis curari. Ego verò ad

inſa-

insaniam cupio. Tu vide, ne hoc mœrore & desiderio contabescam. Jam ipsæ res meæ mihi sordent, ipse mihi displiceo, cum displicere tibi mea studia vides.

68. *Timor.*

Metue ô bone, qvem non metuis. Habemus interdum amicos, qvi blandi sunt oris, amari verò pectoris. Ego profectò non parùm tibi tuæqve causæ metuo, qvi parum adeo tibi ipsi metuis. Mira alacritate omnia observo, omnia etiam tua timens Notæ enim mihi sunt hominum insidiæ, atqve ita spero, lento & suspenso gradu ipsam causæ arcem invadam.

69 *Verecundia.*

Pudore confectus penè sum, cum à rerum tuarum cura exclusum me esse sentio, qvem unum atqve unicum amicum appellare toties consvevisti, qvi tuis rebus eam semper adhibuit diligentiam, qvam non adhiberet vel suis vel aliorum negotiis. Nunc itaqve verecundia deterritus pluribus te verbis non rogabo,

bo, ut qvicqvam oneris mihi imponas. Metuo enim, ne si repulsam feram, secundo pudori animus ipse succumbat.

70. *Audatia.*

Magnum in me facinus tui causa suscepi, facta jam est alea, atqve utinam videre posses, qvo vultu, qva confidentia, qvibus cervicibus, qvo spiritu negotia tua subeam, nulli cedere paratus nec ipsos eqvuleos formidaturus, ut rem tuam tibi conficiam, qvæ meis omnibus, meaq; salute est charior.

71. *Impudentia.*

Jam ergo os ferreum & perfrictam tibi frontem opponam, qvi nullis moveri precibus potes. Ingeram me negotiis tuis vel te invito. Velis nolis morem te mihi gerere oportet, homini, qvi eadem qva hæc à te audacia petit (animos enim addit amicitia) effecta daturus est. Si me importunatius hæc flagitare miraberis, cogita non erubescere amici literas.

72. *Excandescentia.*

Totus in fermento sum, neqve cui succenseam scio, Non mihi, nihil enim

eorum

corum, qvæ ad rerum tuarum curam ſpectant, è manibus dimitto. Indignor tamen ac propemodum ringor, me nihil adeò promovere. An itaqve cum fato meo expoſtulem? Sed & hoc ſtultum eſt, homine prudente indignum tibi videtur. Ego potius impatienti deſiderio tempus illud, qvo tua mihi vota explere liceat, exſpectabo.

73. *Mina.*

Qvæ (malum!) iſta cunctatio eſt? Hæc tua mihi verba aures circumſonant. Væ illi, qvi has mihi moras nectit, & cujus ego culpa iſtam apud te ſuſpicionem incurro Si non fecero ignavo huic homini malè aliqvo pacto me eſſe dicito ignaviſſimum. Habebis tamen in me vel Fabium aliqvem, qvi cunctando etiam res tuas ſit reſtiturus.

74. *Nemeſis.*

Non ergò impunè tibi abibit iſta nunc injuria. Jam par ego pari. Tu me à tuis excluſiſti negotiis, ego te à meis. Jam diſce in poſterum ſuo precio æſtimare amici fidem.

75. *Miseratio.*

Miseret me tui, qvi adeò cum difficultatibus rerum tuarum conflictaris, nec ex iis eluctari angustiis potes. Ergone amici tui ita tibi excidit memoria, ut in earum partem eum admittere nolis, qvi ea fide tua curat, ut fidelius non possit suas.

76. *Confessio.*

Nullæ mihi res magis qvàm tuæ curæ sunt, ea enim me fateor ambitione teneri, ut inter amicos tuos & qvi plurimum tui causa cupiunt, principatum qvendam affectem.

77. *Deprecatio.*

Parcè precor, ô amice, satis pœnarum jam luimus. Citius enim aqva & igne mihi interdixeris qvam officiorum communione, qvæ ex amicitia oritur, sine qva vel ipsa vita mihi acerba est.

Certum est in sylvis inter spelæa ferarum
Malle pati.

Qvi iis carere utilitatibus, qvas tua mihi parit amicitia, qvæq; in eo præcipuè consistunt,

ſiſtunt, ſi tibi ulla ratione utilis eſſe obſeqvio ac opera mea posſim, qva in re omnem pono diligentiam.

Videmus hinc, per qvot *figuras Patheticas* una aliqva variari *formula* poſſit, qvibus ſi jungantur aliæ figuræ, qvantus hic cumulus oriretur? Multæ hîc ſunt figuræ, qvæ non continentur in vulgaribus Rhetoricis, qvæ eas hactenus nondum in certum ordinem redegerunt. Mira enim eſt earum variatio. Aliter *Ariſtoteles*, aliter *Demetrius*, aliiq; *Græci Rhetores* ordinem earum & nomina poſuerunt. Jam verò & *Latini* vehementer diſcrepant. Aliter enim *Cicero*, aliter *Qvintilianus*, aliter *Ruffinianus*, aliter *Aqvila*, aliter *Lupus* eas ordinant. Nemo tamen eorum rectam iniit rationem. Multum in eo laboravit *Franciſcus Robertellius Ulinenſis*, in Libro *de artificio dicendi*, in qvo ſyllabas figurarum, ut apud Autores modò laudatos inveniuntur, inter ſe confert, Synonyma conjungit, diverſa diſtingvit. Primus ille eſt, qvantum ſcio, qvi figuras accuratè di-

ſtinxerit, in *figuras* ſcilicet *Sententiarum, Verborum, Structuræ & Numeri*; Qvæ três poſteriores vulgò ad figuras dictionis referuntur, qvæ longè commodius ita diſtingvi poſſunt. Primus ille figuras ſententiæ ad affectiones animi redegit, ad qvas certè redigendæ ſunt, cum vel ipſa natura Magiſtra in qvotidianis Colloqviis ipſi animadvertamus, qvod hoc vel illo affectu impellente ſermonis ſchemata nobis vel neſcientibus prorumpant. Sunt tamen pleraqve confuſiora. *Emanuel* verò *Theſaurus* ad cujus imitationem has variationes expreſſimus, *libro ſuo de ingenuoſa eloqventia*, occaſione argutiarum, qvas in artem redigere voluit, ſingularum *figurarum Patheticarum* ordinem commentus eſt, qvem ſecundum animi facultates diſpoſuit, atqve eò reduxit figuras, qvæ vulgo ap. *Rhetores* occurrunt, partim alias addidit novas; ſed qvæ etiam figuræ aliqvam rationem habent; Qvæ in eo non continentur Rhetorum figuræ reduci commodè ad aliqvam ejus claſſem poſſunt.

ſunt. Delegimus verò præcipuè *figuras Patheticas* in varianda *hac formula Ciceroniana*, qvod omnes formulæ ex affectu aliqvo prorumpant. Qvanta ejus variationis ubertas ſit, qvilibet videt. *Figura verborum*, *ſtructura* in dato exemplo freqventer occurrunt, aliæqve *figuræ Pathetica* ſub aliis, qvæ tamen diſtingvi ab intelligentibus facilè poſſunt Illud verò iterum iterumq; moneo, illis exercitiis ſubigendos eſſe Tyronum animos & præparandos, qvæ ſi fuerunt freqventiora, nunqvam deeſſe illis copia formularum poteſt, vel ſi ſexcentas ſcribant ejusdem argumenti literas. Poſt *variationis exercitium* in eo ſe exerceat Tyro, ut *epiſtolas* vel *Ciceronianas*, vel *Manutii*, vel *alterius cujuspiam autoris Ciceroniani* epiſtolas *alia forma componat*, nimirum *periodos breviores dilatando*, *ampliores coarctando vel transponendo*; *qvæ ſimpliciter illic dicuntur*, *ornatè hic proferendo*, *phraſes phraſibus*, *formulas formulis ſubſtituendo*, *ita ut in tota*

epistola mentem autoris retineat, verba, structuram, compositionem, periodos mutet. Qvò fiet, ut qvasi nescientibus sub manu copia verborum & formularum nascatur. Ejus rei experimentum capiemus:

Exemplum I.

Ex Lib. 13. epistolarum ad Famil. epist. 74.

Non puto te fugere, qvæ & præsens tecum egerim & per literas de Lucii Oppii familiaris mei & Lucii Egnatii negotiis. Et novi sane tuum in me amorem & observantiam, & nota tibi est, qvæ mecum tibi intercedit necessitudo, ut non facilè crediderim, te rerum mearum & amicorum oblivisci velle, nisi & mei ipsius obliviscaris. Ne verò ipse & literis in me parcior & in causis amicorum segnior videri possis, iterum de amicorum salute ago per literas, qvorum tu causam agas etiam atqve etiam rogo, cavebisqꝫ qvantum in te erit, ne mihi iterata hac commen-

mendatione acta ſint agenda. De Lucii Egnatii negotiis imprimis velim cogites; Noſti enim, qvantum hominem amem, qvanta ſit noſtra familiaritas, ut vel eo ſolo, ſi me ames, ad deſideria mea implenda poſſis debeasqꝫ permoveri. Puta eundem eſſe, qvi petit, cum eo, pro qvo petit, nec illi tam hoc officium crede, qvam mihi exhibiturum, qvi in re mea non magis laborarem, dum laboro in re amici, qvæ eſt etiam è re mea. Fac ergo, ne inter ſolos nos diſpereat amor noſter & illaudato perimatur ſilentio, qvod profecto fiet, niſi etiam aliis amoris noſtri conſtantia ſummaqꝫ animorum conſenſio innoteſcat. Sit ergo Lucius Egnatius qvoqve inter illos, qvi è facili tuo aſſenſu cognoſcat, qvanti tu æſtimes me, ne ille dubitet, ſe à me æſtimari Triplicem itaqve amicitiam uno qvaſi ſolidabis & conſervabis officio. Tuam erga me, Meam erga te, Tuam atqve meam erga Lucium Egnatium. Vide ne tam ſplendidam bene merendi oc-

casionem prætermittas, qvod te vehementer rogo.

Si jam contuleris cum Ciceroniana epistola, omnia videbis illa comprehendi, qvæ hic fusius deducta sunt. Cum hic periodo prima habeatur: *Etsi non dubito, qvin memoria teneas.* In nostro exemplo primam hoc facit periodum. In Ciceroniana: *pro tua in me observantia &c.* commata duo, alteram mihi faciunt periodum, & commodè qvidem satis, nam enthymemata qvædam in illis verbis reconduntur. In Ciceroniana epistola porrò his verbis: *Tamen etiam atqve etiam* usqve *commendo*, tertia mihi periodus formatur, ita tamen, ut specialium nulla mentio fiat, qvæ hîc qvidem involvuntur, mihi in seqventem periodum rejiciuntur. Addo præterea duas rationes, scilicet ne literis parcior, & in amicorum causis segnior videar, qvæ à Cicerone non sunt positæ. In Ciceroniana: *Tanta mihi cum eo necessitudo familiaritasq́; est*; comma unum mihi

mihi facit periodum. Apud Ciceronem verba illa: *Ut si mea res esset, non magis laborarem,* novam mihi periodum faciunt, puta eundem usqve è re mea. Apud Ciceronem periodus qvæ incipit: *Qvapropter*, usqve *existimo*, duas mihi facit periodos.

Exemplum II.

Ex Epistola seqventi 75.

Perscripsi ante aliqvot dies ad te de negotio amici, qvod multis nominibus tibi commendatum, qvamvis propter silentium hactenus tuum, vix, qvid sperare habeam, constet. Peccare in amicitiam nostram qvodammodo viderer, si bis peterem à te, qvi vel ad nutum solebas esse promptus: Cum verò sciam tantis te distineri implicariq́ negotiis, ut facile non qvidem amicitiæ officia, sed illorum maturationem in moram possit subripere. Iterum mitto has meas, qvæ aurem tibi vellicent, præsertim cum Caji Aviani Flacci amor me ad scribendum adegerit. Cujus causa nihil non tenta-

 verim

verim & mihi herculè debeo. Qvod si memoriam hæc tibi revocare attinet, qvæ nescire te recens tempus non sinit, nosti, qvid præsens ego non solum tecum egerim, sed & qvam tu humanissimè respondes. Nec poteram facile credere, abiisse tibi ex animo argumentum epistolæ, qvam de eo accurate scripseram; sed putavi tamen me eis commodis non invigilaturum, si aliqvid scribendi occasionem prætermitterem, freqventiam literarum vocans in subsidia commendationis. Non poteram deesse amico, cujus preces mihi sunt imperia, qvam in suspicionem me à te adduci posse videar, qvasi in dubium vocem eam qvam semper hactenus tam erga me qvam alios exhibuisti constantiam. Ignosces tamen si desideriis occupatus vehementius flagitem, qvæ & semper æqvissima esse credidi, & tibi non ingrata.

Ex his adductis exemplis facile, ut puto, patet, qvomodo in hoc exercitio res sit instituenda. Cum ex his tum *variationis* tum *amplificationis* exexcitiis prom-

promptitudinem aliqvam in imitando nactus fueris, atqve ita ſtyli puritatem jam poſſis diſtingvere, alios qvoqve præter *Ciceronem* in conſilium vocare potes, easq́;, qvas habent formulas, colligere, ac in tuum uſum convertere. Nec disſvaſerim ex epiſtolarum *autoribus Gallicis*, qvi multi ſunt & arguti, accipere, qvantum linguæ latinæ genius non reſpuit. Id verò certum eſt, *Ciceronis formulas adeò eſſe exqviſitas, ut comparatæ cum illis Gallorum veneres ſordere mihi videantur.* Sed habent tamen & illi interdum nonnulla, qvæ delectare poſſunt, ac mire ſvavia ſunt. Nos exemplorem firmabimus. Latinam itaqve dabimus, & qvidem amplificatam, qvæ occurrit apud *de la Serra* brevior.

Exemplum I.

Epiſtola, ad imitationem Gallicæ.

Tu verò ſuperſedere poteras iſtis verborum lenociniis? Tantum enim abeſt, ut ad palatum literæ tuæ mihi fuerint, ut bilem potius moverint. Vide itaqve,

 ne

ne ſtomachum in te erumpam, qvi dapſilia uſqve dicta nauſeabundo ingeris. Itane inter amicos agere oportet? qvemadmodum inter peregrinos vel aulicos, qvibus omnis in lingva habitat amicitia, verbis magnifica, rerum animiq; vacua. Aut itaqve te planè oblitum juris tui crediderim, qvod hic me beneficia tua tibi pepererunt: aut me meritorum tuorum immemorem exiſtimas? Illius qvidem, cum qvo qvotidiè reviviſcat, non interire poteſt apud te, niſi per modeſtiæ tuæ culpam, recordatio. Horum ſi aliter qvàm cum vita mea memoriam deponi poſſe credideris, non exigua me injuria affectum interpretator. De me ſic exiſtimes, ac tibi perſvadeas vehementer velim, nihil mihi amicitia ac officiis tuis fuiſſe unqvam vel fore antiqvius, qvæ qvidem ea conſtantia tuebor, ut te citius juſſorum materies defecerit, aut mulititudo eorum defatigaverit, qvam ego obſeqvii promptitudini ſuccumbam.

Exem.

Exemplum II.

Ex Epistolis Gallicis Selectis Balzaci Part. 2. Lib. 10. epist. 21. scripta ad Dominam de Ville Sovin.

Qvoties ad te mitto literas, ea semper lingva utor, qvæ in gente nostra publica est, & nobiscum penè nata. Ne alterius orbis atqve hujus nostri Civis esse videar. Tu tamen. qvæ tua est humanitas, persvadere mihi laboras inesse singularem aliqvam literis meis eloqventiæ vim, qvam tantum abest ut in iis agnoscam, ut ne vix qvidem conatum ejus ostendam. Nam qvæ tu mirari te dicis, vix tolerabilia mihi visa sunt, nisi tibi per humanitatem tuam summam ea videantur, nisi cum verborum tuorum svavitate ipsa tuorum officiorum vis atqve efficacitas conjuncta esset, suspicari possim de istis aulicæ cujusdam indolis delitiis, qvibus bellè eleganterq; mihi illudatur. At verò cum id à veritatis charactere atqve adeò à te etiam alienum

ſit, vehementer te rogatum velim, ne imposterum mihi laudibus illis, ad qvas penè obſtupui, pudorem incutias. Tu potius crede adeò vanum me fore, ut laudes, ſi qvas aliqva in re merebor, non ſubterfugiam, ſed hoc loco ut agnoſcam, nec opportunum ſatis nec ambitioſum mihi vidteur. Animus noſter hiſce in literis ſe conſpiciendum præbet cogitationum ſuarum ſimplicitate, qvales illæ à matre cubent verecundiæ qvidem colore ac nullo fuco tinctæ; neqve enim tantum naturæ inſtinctu qvam artis ductu Rhetoricarum. Affectus meus his in literis tibi loqvitur, nec verò qvæ in animo concipiuntur benedicendi ſibi artem flagitat, aut ad ejus præcepta exigi ſolet. Nulla eſt affectuum, nulla moris diſciplina, vel à Græcis vel à Latinis, vel ab Ariſtotele vel à Cicerone tradita. Ac qvanqvam nullus ſermonis pingere coloribus datum mihi ſit, ipſa tamen veritas ſilentium mihi rumpit, ipſe affectus os mihi ſolvit; qvod teſtari de animo,

mo, de obſeqviis, de officiis erga te meis poſſit.

Exemplum ſeqventis Epiſtolæ.

Si reſpirare à morbo vel tantillum fuiſſet dudum ad laudes tuas regeſſiſſem non adeò abjectum me eſſe animo, ut illius rejicere cupiam, nec adeò arrogantem, ut velim illis ſuffragari. Fide certè hiſtoricâ illis credere, ut hominis eſſet, nimia perſvaſionis laborantis ita offendi hoc velut figmentis aliqvo officioſo ingenii eſſet moroſioris, ea tamen in re illud ſeqvar temperamentum, ne tibi eſſe fraudi poſſit. Tuorum ergo verborum elegantiam intueor velut à te profectam, ut nihil eorum, qvæ ad me pertinent, eadem cogitatione complectar. Qva ratione illa nunqvam effatu ſuo fruſtrabuntur, qvum me relinqvant perſvaſiſſimum, ſed de virtutibus tuis ſummis, ſed de ingenii tui elegantia, ſed de admirabili non laudabili, ſed laudantis eloqventia.

Plu-

Plures occurrunt apud *Balzatum* argutissimæ epistolæ ac formularum svavitate mirè venustæ, qvas ille tamen ad Ciceroniarum aliarumqve epistolarum indolem expressit. Non enim, uti jam dixi, *Latini à Gallis* hac in re superantur. Ad *imitationem Epistolarum* etiam illud præcipuè commendari debet *exercitium qvo ex sermone ligato aliqvid vertitur in solutum*, unde promptius differentia utriusqve styli discitur. Illud enim commendant *Pamphilus Persejus* in *Secretario suo*, qvem *Italica lingva* scripsit, cujus partem in latinam lingvam vertit *Weselovius*, qvi ejus in *Italica lingva* exemplum dat illustre in *Sperone*, qvi suo ævo Italicè scripsit ut ex Rythmis *Dantis* multa accommodavit sermoni soluto, unde & Prosator *Didante* dictus fuit. In latina lingva si qvis latè instituere velit, uti potest *Epistolis Horatianis*, qvæ Versu qvidem scriptæ, ita tamen, ut sermonibus videantur propriores. Si enim *Periodos* modo aliter formes atqve illa immutes, qvæ qvodammodo numerum

sapi-

ſapiunt, & Poëticam dictionem, nullo negotio elegantem epiſtolam in ſoluta lingva conficies; Cui uſui accommodatius erit, ſi aliqvando *formulas ex Cicerone paralelas* congeras, qvibus ſenſum eorum, qvæ in *Horatianis Epiſtolis* occurrunt, eleganter varies. Idem qvoqve tentare poteris in *Ovidii Epiſtolis*, qvæ plus habent *poëticè*; formularum tamen elegantia etiam cum *Ciceronianis* certant, qvem *Paralelismum* notavit *Henricus Stephani in Diſſertatione de vario epiſtolarum genere*: Ac poſſunt tales formulæ ex *Epiſtolis Poëticis* inter reliqvas etiam colligi, uſui futuras ei, qvi cum judicio & cum intellectu illis utetur. In *Horatianis epiſtolis* præire nobis poteſt *Lubinus*, qvi perpetuam Paraphraſin in *Horatii Poëmata* edidit, ſed is, qvia ſenſus verborum inveſtigat, multaqꝫ circumſcribere opus habet, qvoniam paraphraſis eſt & Commentarii vice fungitur, non eam habet ſermonis compoſitionem, qvæ convenit epiſtolæ. Nos *exemplum* propo-

po-

ponemus ex *epistola IX. Lib. I.* qvæ brevis est, & *Commendatoria*. Sed qvæ mira brevitate omnia ista comprehendit Enthymemata, qvæ poterant afferri ad aliqvem commendandum, qvem potius coactè qvàm sponte commendamus.

Versio Epistolæ IX.

Qvanti tu me facias Nero, Septimius unus intelligit, vehementer enim rogavit, precibusqve suis qvasi coëgit, ut commendare se tibi ac tradere vellem, hominem nec ingenio tuo nec domo tua, qvi optimos qvosqve seligere soles, indignum. Nam qvoniam me propiore junctum amicitia censes, facile qvid apud te efficere valeam, ac me ipso qvidem novit accuratius. Multa qvidem causabar, sed cum verendum mihi esset, me data me opera extenuare nostram amicitiam putarem, aut utilitati amici incuriosus, meis rebus & rationibus potius consulerem Atqve ita apud amicum in culpam incurrerem; perfricare fron-

frontem apud te malui urbanorum more hominum per impudentiam extorqvens à te, qvod modeſtia vel non poteram vel non audebam. Qvod ſi violatæ apud te modeſtiæ amici cauſa reus non tamen vituperor, rogatum te peramanter velim, ut in domeſticorum tuorum numerum hominem bonum tibiq; ut ſpero, ad omnia obſeqvia promptiſſimum recipere ne dedigneris.

Atqve hi ſunt præcipui illi modi, qvibus Tyrones exercere ſe poſſunt tum ad firmitatem in charactere epiſtolari acqvirendam tum ad promptitudinem in Enthymematibus inveſtigandis; qvæ his in exercitiis qvaſi ſponte ſuâ ſe ingerunt, atqve ipſis nonnunqvam formulis qvaſi immiſcentur. Hinc ubi maturius judicium acceſſerit, nunqvam illa deſerent, ſi qvi animum ad ſcribendum inſtituunt. Scio eſſe, qvi ſvadent, ut Tyrones è formulis Ciceronianis hinc inde collectis, qvaſi centones qvosdam congerant, ipſaq; verba exſcribant, modo

vide-

viderint, ut aptè connectant; qvod & ego in prima ætate non improbo, modo iſtud in maturiorem ætatem non traducatur, atqve illæ formulæ, qvibus asſveti ſumus integræ adducantur, qvod à Plagii crimine non qvicqvam abeſt.

Cap. IIX.

De
Literis Germanicis.

ELoqventiæ epiſtolaris ut in *Latina*, *Gallica* aliisqve lingvis ita & *in Germanica* magna eſt neceſſitas. Ejus tamen ſingulis lingvis ſingularis qvidam genius tum *ratione elocutionis*, tum *ratione compoſitionis* ac *ſtructuræ*. Etiam *in Germanicis literis* varia agnoſcenda ſunt illa *genera*, qvæ in Latinis: Namqve & hic diſtingvendæ *familiares ab illis*, *qvæ de certo negotio ſcribuntur*, *atq; in certo aliqvo Genere* verſantur. *Familiaribus epiſtolis* lex nulla eſt poſita, niſi ut ſtylo facili atqve terſo ſcribantur citra aliqvem

qvem vecum delectum singularem, aut numeri ac periodorum curam. Ad *familiares* qvodammodo etiam referendæ sunt, qvæ *in meris consistunt formulis, & qvodam verborum lenocinio*, qvæ *le complement* voce Gallica dicimus, qvale literarum genus in Gallico sermone est usitatissimum, eos etiam Germanos imitari licet, ita tamen ne confundatur utriusqve linguæ genius. Ac sunt ejus exempla benè multa apud *Harsdörferum* in Libro, cujus Titulus Teutscher *Secretarius*. Generatim autem hic notandum est, ita temperandas esse Veneres Gallicas, ne violetur Gravitas Germanica. *Epistolæ certi argumenti* eodem modo dividuntur in *Petitorias, Commendatorias, Svasorias* &c. Eæ tamen si scribantur ad *Principes, Viros Illustres*, temperari certa qvadam ratione debent. *Dictio Germanica*, qvantum fieri in Epistolis potest, pura sit, non nitatur phrasibus confictis, aut ab usu civilis remotis, metaphoris, audacioribus verbis, dithyram-

bicis

bicis & compoſitis, qvibus *Poëtaſtri* qvidam nunc nimis indulgent, tum demum eleganter ſe ſcribere exiſtimantes, ſi verba qvædam confingant ſonora, poliſyllaba, ac ridicula epitheta, qvalia non ſine nauſea ſæpè leguntur in *fabulis Comicis*, qvas *Romanas* dicimus, aut in *Bucolicis*. Tantum abeſt, ut illo ornatu elegans reddatur dictio, ut potius qvibusdam qvaſi Morionum tintinnabulis conſpicua reddatur.

Puritatem lingvæ cùm inculco, adeò rigidus eſſe nolim ejus propugnator, ut locum non concedam verbo alicui latino aut Gallico: Inprimis ſi illa ſignificantius rem exprimant, ut penè non ſint in Germanica lingva, qvæ illis ἐμφάσει reſpondeant. Adde qvod vulgati illa uſus ſint, & ex continuo cum Gallis commercio penè civitate noſtra donati. Ridiculam tamen eorum affectationem omnino improbo, atqve iis in locis, ubi commodè vox Germanica poni poteſt. Nec admitterem ego qvibusvis in literis, ſed in iis, qvæ de *argumentis civilibus*

&

& Politicis scribunt. Multi enim hic occurrunt *termini forenses, latini, Gallici,* qvæ si qvis Germanica voce exprimere velit, ita loqvetur, ut Germanis ipsis intelligi non possit, atqve ex alio orbe qvasi in hunc locum delatus videatur. Ut mirer inutilem cujusdam operam, qvi *Lexicon talium terminorum latinorum & Gallicorum* confecit iisq; Germanica Vocabula substituit: ac vehementer jam olim devisi sunt, qvi *Cancellariis & judiciis* suam præscribere normam voluerunt *Criticastri Germani*. Exemplum hic à *Latinis* capiamus, qvi vel in epistolis scriptis didacticis melioris sensûs gratia Græcas voces retinuerunt; *Græca* enim lingva, qvia prior fuit latina, atqve Romanis vicina, ac qvotidianum illis cum Græcis commercium, honorem hunc Græcæ lingvæ habuerunt, qvanqvam *Græci* nunqvam latina suis immiscuerunt, adeò, ut cum verba autorum latinorum essent alleganda à *Plutarcho*, ille convertere in lingvam Græcam verba latina maluerit, qvam ipsa apponere,

re. *De Orthographia* nihil hic monere opus eſt, cum ad Grammaticam pertineat. Non poſſum tamen hic ſatis mirari ſtultitiam *Samuelis Butickii*, qvi libro libro (die Hochteutſche Cantzeley) novam *Orthographiam* comminiſcitur, ac Græcorum accentus Verbis Germanicis apponit. Ut in omni ſermone ſic in Germanico ſingularis particularum uſus eſt, præcipuè verò in hoc, qvod longis periodis utitur & polycolis, qvorum membra plerumq; per particulas connectuntur. Diligenter itaqve illæ notandæ ſunt ac genuinus earum uſus, qvem in *Scriptis, Documentis, Inſtrumentis, epiſtolis Politicis, Receſſibus imperii ſimilibusq́; Scriptoribus* venari oportet. Hæc enim ea in re pro norma ſunt, adeò, ut *ſi qvid contra communem loqvendi conſvetudinem illic reperiatur*, notandum ſit. Qvod & in latina lingva Viros eleganter doctos præcipere memini, ut qvaſi qvæ in Scriptis Politicis reperiuntur barbaræ locutiones & termini ſed uſu donati colligantur tum ad intelligenda talia ſcri-

pta,

pta, tum ut imitemur; si nobis ipsis talia scribenda sint. In iis magis oportet usum communem respicere, qvam elegantiam styli. Ridebitur enim, qvi in re cultum spernente ac apud Barbaros elegantiæ præmium mereri volet. Particularum usus præ cæteris notandus est, in Germanica lingva, qvas visus mihi est, diligenter collegisse Spath in seiner Secretariat-Kunst *Part. 2. cap. 5.* Qvoniam verò Liber ille diffusus est, ac *omnia artis Grammaticæ & Rhetoricæ præcepta ac pene Encyclopædiam aliqvam* in suum opus compegerit, ac proinde non in omnium manibus sit, placuit illa, qvæ ad contextum Sermonis Germanici faciunt hinc excerpere:

Particulæ Copulativæ sunt.

Und / auch / darneben / ingleichen / nichts weniger / nichts minder / ebenmäßig. Sowol auch / wie auch / sampt / zusampt / darneben / neben dem / ferner / hierüber / über diß / weiter also / gleichsfals /

fals / ebener massen / darauf / endlich / letztlich / zum Beschluß / Summa.

Particulæ Disjunctivæ sunt.

Und nichts / noch / weder / viel minder / hingegen / im wiedrigen / wiedrigenfals. Horum usus est in epistolis, qvibus multæ res narrantur, variæq; circumstantiæ & causæ adducuntur. Hæ inserviunt refutationi, negationi, excusationi. Exempla vide apud Autorem.

Particulæ Conditionales sunt.

Wofern / dafern / so nun / wenngleich / ob nun wol / solte nun / hätte nun / würde nun / nun ist zwar an dem / ohne Zweifel nicht zu leugnen / nun läst man zwar an seinem Orte gestellet seyn / gesetzt / im Fall / den Fall gesetzt. Qvas excipiunt

Particulæ Apodicticæ.

Dieweil aber / damit aber / nachdem / iedoch ꝛc.

Particulæ Conclusivæ.

So alsdenn / so muß ich bekennen / so ist kein Zweifel / ist nicht zu leugnen.

Particulæ Discretivæ.

Doch / iedoch / dennoch / aber doch / gleichwol / vielmehr / ja aber / sondern / anders mehr / ja mehr / anderweit / besser / nicht vielweniger.

Particulæ Causales.

Qvarum usus est in excusationibus, probationibus, consultationibus, dehortationibus. Denn / dieweil / alldieweil / weil / sintemahl / demnach / nachdem / angesehen / zudem / zumahlen / inmassen / in Betrachtung / bevorab / besonders / diesem nach / hierauff / derohalben / darümb / damit nun / in Erwegung / ümb deswillen / dannenhero.

Narrativæ.

Welcher Gestalt / was massen / was / wie.

Relativæ.

Dißfals/ hierinnen/ deswegen/ deshalben/ dannenhero/ hierunter/ in dieser Sach/ angedeuteter / erzehlter/ angeführter/ angezogener/ gedachter/ gesagter/ erwehnter/ berührter/ angeregter / obangeführter / ietzt erzehlter massen / bey solcher Beschaffenheit / gestalten Sachen nach.

Correctoriæ.

Geschweige / ein anders ist/ ich will nicht sagen.

Comparativæ.

Wie nun/ auf gleiche Weise/ ebener massen / also / gleicher Gestalt / gleicher Weise / nichts anders / eben so.

Explctivæ.

Zwar also / hiemit/ hiedurch / demnach / Nun ꝛc.

Hæ potissimæ sunt particulæ, qvarum usus est in connectendo sermone Germanico, *solet tamen in illis etiam qvoddam*

esse

esse novaturientium studium particulas alias vel abrumpentium vel novas fingentium. In qvibus mihi qvidem placuerit ratio communis, qvæ pro regula hic esse debet. Sic à multis scribitur: Umb dohmehr pro ůmb destomehr. Diß habe anvormelden wollen pro zuvor/ & similia. De *particulis, qvæ Epithetorum* vice funguntur, inferius plura. *Verba* ipsa debent esse perspicua, uti & eorum constructio, item & sonora, unde numerus sermoni concinnatur. Ita ingrata est ejusdem literæ repetitio e. g. Die dir diese Dinge dürfen sagen. Ita effertur: Diejenigen/ welche dir solche Sachen sagen dürfen. Sic *Homœoptota* ingrata sunt, e. gr. Die Sterbligkeit erinnert uns unserer Gebrechligkeit / daß wir hinlegen sollen die Zeit / und verlangen nach der Ewigkeit. Verba fugienda sunt nimis prolixa, crebrius cumulata, brevia item nimis cumulata. *Hæc* benè nec incipiunt nec finiunt periodum; *illa* rectius incipiunt & claudunt periodum, *qvan-*

 qvam

qvam id cavendum, ne affectata sit vel ficta ac nimis condensata. Facit & ad numerum periodi *circumlocutio aliqva* Germanico ſermoni familiaris, qvæ illum mirificè ornat. *v. g.* Planè non eſt ſonora illa periodus ob ineptam compoſitionem tum ob brevitatem verborum: Daß die Sache / worümb ich ihn gebeten/ ſeinen Zweck nicht erreichet / vernehme ich nicht gerne; Doch ſage ihm für ſeine Mühe dienſtlichen Danck / und verſchulde dieſelben anderwerts / ſo gut ich kan. *Magnificentius ita ſonabit*: Wiewol ich ungerne vernehme / daß die Sache/ warümb ich denſelben neulicher Zeit erſuchet / ihren gewolten Fortgang bißhero nicht gewinnen mögen / ſo bleibe ich dem Herrn dennoch mit ſchuldigem Danck nicht wenig verbunden / und verpflichte mich hinwiederrüm zu allen möglichen Gegendienſten. Hic jam *particulæ Relativæ* (**wiewol/ ſo**) ornatam faciunt periodum, *commata* etiam inter ſe longè ſunt ornatiora, *finis* qvoqve periodi in verbo

verbo prolixiori magis sonorus. *Multa qvoq; sunt voces, qvæ interdum usu Cancellariorum aliter significant, qvam ex sua natura aut constructione significare debent*, in qvibus prudentis est, erroribus nonnunqvam indulgere. Ita non immeritò culpat SPATHIUS in *arte Secretariatûs, participia præsentis temporis activa pro passivis usurpari, v. g.* Die zu euch tragende affection i. e. die man zu euch trägt. Die unterhabende Sachen i. e die Sachen / die unter Händen sind. Das beylegende Ampt / i. e. das beygeleget soll werden. Sed hæc adeò non sunt trita, ut multi ea velut flosculos ostentent in literis germanicis. Ita in *particulis* vulgo addi qvædam syllabæ solent: Schließlichen pro Schließlich. Balden pro Bald. Nurten pro Nur Zwarten pro Zwar. In qvibus nonnunqvam aliqvid horum terminorum ingenio indulgendum est. Sic freqvens etiam est *omissio pronominis* Ich / qvod qvidem interdum admitti potest. Si verò nimis

 cre-

crebrò fiat, nescio qvod affectatum genus loqvendi præ se ferre videatur *e. g.* Ob zwar gerne gestehe / daß bey dieser Sachen ein Antheil habe / so kan doch nicht leugnen / 2c. *Verborum nimia distractio indecora est*, Si e. g. Nominativus periodum incipiat, & post sex vel septem commata verbum, qvod se refert ad priorem Nominativum, periodum claudat. *Titulorum in Germanica lingva magna ratio habenda est*, de qvibus consulantur Autores illi, qvi in germanica lingva ea de re scripserunt, qvibus è titulis nasci solent qvædam epitheta familiaria, qvæ verbis addi solent, qvæ omnia ad normam *tum ex persona scribentis, tum ex persona ejus, ad qvam scribitur*, hauriuntur. Sic ad *Principem* scribitur Gnädigst / ad virum illustrem, Großgeneigt / Hochgeneigt / Hochgünstig / Hochgewogen / *qvæ epitheta adjectiva plerumq; solent addi verbis. Epitheta ad munus spectantia sunt:* Vortrefflich; Hochansehnlich / qvod est Legati Titulus. Hochverord-

ordnet/ Hochwohlbestalter/ Hochbetrou-ter/ Generales sunt Tituli muneri illustri competentes. Hochgeneigter/Hoch-gewogener/Hochvermögender/Vorneh-mer/ Hoch- oder Groß-werther/ Tituli sunt, qvos Patrono dare solemus, unde etiam epitheta talia adverbialia formantur: Hochgeneigt/ Hochvermögend/ Hochgültig. *In epistolis ad viros illustres, Principes pollicitatio officii solet præmitti.* Eur. Hoch-Fürstl. Durchl. seyn meine unterthänigste Dienste zuvor. Ad virum illustrem nobilis ordinis, Eur Excellenz seyn meine gehorsame Dienste zuvor. Tituli illi abstracti. Euer Durchl. Eure Excellenz, adeò religiosè à qvibusdam observantur, ut semper repetantur, nec Pronomen relativum ejus loco admittant, qvod ineptum ego puto, & stulta qvadam affectatione inductum. *Tituli tales etiam in frontispicio literarum poni debent* Solœcismus itaqve est, si ponatur pro illo pronomen demselben oder desselben/ qvod & in privatorum literis

indecorum est. Non enim dici sic debet, Desselben Schreiben habe ich wohl empfangen. Sed Meines Hochgeehrten Herrn Schreiben habe ꝛc. ꝛc. Si *Tituli abstracti ponantur, pronomina etiam debent poni convenientia. Pronomen* Ich *semper postponi debet nomini ejus, ad qvem scribitur,* si persona sit superior. Malè itaqve dicitur: Ich habe seinen Brieff empfangen / sed Meines Hoch-geEhrten Herrn höchst angenehmes Schreiben habe ich wohl empfangen. *Subscriptiones literarum semper ad personarum munus respiciunt.* Unterdienstlicher / Gehorsamster erga Superiores scribitur; Gehorsamster Diener erga qvosvis pares. Unterdienstlicher Diener / id qvod ridiculum est, sed ejus loco ponendum unterwilligster / schuldigster / treuwilliger / aufwärtiger Diener; Treuergebenster / qvod priores excedit. *Erga qvosvis amicos* Dienstbegieriger / Dienstgeflissener / Treueyfriger / Treugeflissener. Alii plures comminiscuntur Titulos;

Mirè

Mirè enim felices in hac ὀνοματοποιΐᾳ nonnulli ſunt, ut Dienſtbereitfertiger/ Treudienſtbereitwilliger / qvæ affectata ſunt & inepta. *Fœminæ* ita ſubſcribunt demüthigſt pro unterthänigſt / qvia epitheton eſt ſexui fœminino indecorum. Solet etiam verbum **Ehren** addi ab illis, tum qvod ipſi mulieri ab aliis dantur, tum qvod ipſa mulier aliis dat, ut Ehrenwilligſte. *Si plures ſint perſonæ conditione muneribus diſtinctæ*, vox *reſpectivè* ſolet addi, e. g. Unſerm Vielgeehrten Herr'n reſpectivè Schwager und Gefattern. *Generalia* ſunt *Epitheta*, qvæ ſubſtitui ſolent cum naſcitur perſonæ dignitas, ut: gebührend/ſchuldiger maſſen/ billig/ nicht unbillig. Sed eæ fugiendæ ſunt, ſi de dignitate conſtet, vel potius in exceſſu hic peccandum, ne offendamus illum ad qvem ſcribimus. *Si repetitur perſona vel perſonæ alicujus nomen, ſolent addi iſta epitheta*: Angemeldeter/anietzo gemeldter / ermeldter / gewehnter / obgedachter/ obgemeldter/ ietztbeſagter/ meh=

rentheils berührter / ietzt erwehnter. *Si persona illustris*, adduntur particulæ: Höchst / Hoch / Hochwohl. *Nomina, quæ officia nostra & studia exprimunt, alia sunt erga viros illustres, alia erga pares & inferiores. Cum ad Principem scribimus, usurpamus voces:* Hoch-Gräfl. Gnade und Huld. *Principes inter se his vocibus utuntur:* Freund-Vetterliche Gewogenheit und sonderbahre Hohe Freundschafft. *Cum ad Viros illustres scribimus*, his utimur verbis: Die Hohe Gunst / Gewogenheit / die Grosse Gütigkeit. *Ad amicos & pares illis* vocibus utimur: Angenehme Willfährigkeit / Gefallen / Bemühung. *Cum pollicemur officia nostra, ad Principes* scribimus: Seine unterthänigste devotion an den Tag legen. *Ad viros illustres:* Seine gehorsamste Dienste ꝛc. *Ad pares:* Gegen-

dien-

dienste / allerversinnlichste Dienste und Willen / rc. Addi etiam solent nonnunqvam *in literis petitoriis*, præcipuè *formulæ qvædam, qvæ magnum decus obtinent, nec facilè omitti possunt* e. g. Seiner Hochmögenden autorität nach / durch dero hochgültiges Ansehen / Hochgültiger Recommendation, Seines vielgültigen / vielmögenden Orts / Seiner bekandten Freundwilligkeit, Höffligkeit nach / wohlbekandten Fleisses / Seiner gewöhnlichen / berühmten / wohlbewährten Freundschafft und Leutseligkeit gemäß. E qvibus *illæ* ad Viros Illustres, *hæ* ad amicos & pares scribuntur.

Hæc sunt penè illa, qvæ circa voces in literis Germanicis sunt observanda, qvorum interdum major cura esse solet, qvam ipsarum rerum. Notari etiam possunt *Synonymicæ voces*, qvarum Usus in *stylo germanico* admodum freqvens

eſt *æq, ut in latino.* Id enim mirè ad numerum facit & periodum ornandam, ſed illa nonniſi è crebra lectione obſervari poſſunt, ſoletq; ipſa res, de qva agitur, ea ſubminiſtrare, modò videamus, ne qvicqvam fingamus, qvod ab auribus germanis abhorreat, qvare illa tamen legere oportet Scripta, vel qvæ *civilis guſtûs* ſunt, ut *Receſſus imperii, Inſtrumenta publica, literas Cancellariorum* &c Qvi *Gallicismos* admiſcere ſuis literis ſolent, admodum ridiculi ſunt, & qvi lectioni literarum Gallicarum asſveti ſunt, geniumq; earum imitantur, genium dictionis germanicæ corrumpunt, qvas è manibus abjiciendas eſſe rectè monet SPATHIUS in ſeiner *Secretariat*-Kunſt *Part.2.p.*241. Ac peſtem vocat illorum, qvi ad hæc exercitia primum accedunt: longè enim aliter dictio formatur in *lingva Gallica. Alius planè numerus eſt, alia verba, epitheta, compoſitio, Periodus*, qvæ omnia ſunt alieniſſima à numeroſa Sermonis Germanici compoſitione. Neqve


qve dicam de *futilitate qvadam & tutiloqventia,* qvæ Gallicum ſermonem qvidem non dedecet, dedecet verò Germanicum *Epiſtolæ germanicæ œconomia ſive Diſpoſitio iisdem partibus conſtat, qvibus latina, eademq; hic occurrunt enthymemata, qvalia in omnibus epiſtolarum generibus apud latinos adhiberi diximus.* Partes omnes orationis hic etiam qværere ineptia eſt. Qvanqvam dari epiſtolas tales poſſe etiam in germanica lingva non inconcinnè ordinatas exemplo aliqvo oſtendit SPATIUS in ſeinem *Secretariat-*Buch *Part.2 pag.*125. Communior aliàs Methodus epiſtolæ, ut epicherematis vel Syllogiſmi Oratorii inſtar adornetur, qvemadmodum & Libelli ſupplices Summarii. Ordo verò Propoſitionum inverti ſolet, ac interdum illis rationes qvædam addi. Qvalem methodum in latinis Oratiunculis extemporaneis RADOVIUS præſcripſit, ac habet ejus exempla aliqvot SPATIUS *l. c. p.* 225. Sunt & nonnullæ *formulæ generaliores & commu-*

muniores, qvæ ad partes epiſtolæ potiores adhiberi ſolent. Sic e. g. certæ ſunt *formulæ narratoriæ, confirmatoriæ, refutatoriæ, epilogiſticæ, initiales*, qvas diligenter collegit SPATIUS *libro citato*. Præterea & aliæ ſunt *formulæ, qvæ certis epiſtolarum generibus competunt*, ut *epiſtolis commendatoriis, petitoriis, mandatoriis, nunciatoriis* &c. Qvarum *idem* indicem aliqvem dedit, ac poſſunt tales formulæ notari ex epiſtolis elegantioribus ac libro qvodam ſeorſim colligi. Sunt & *connectendi qvædam formulæ communiores* à figuris Rhetoricis petitæ, qvæ benè asſervandæ. *Communisſima eſt per formulas comparatorias ejusq; particulas, etiam cum nulla rerum inſtituitur comparatio. e.g.* Gleichwie nun dem Herrn alle angenehme Dienſte zu erzeigen mich verbunden erkenne; Alſo werde mich äuſſerſten Fleiſſes bemühen / denſelben in der That ſehen zu laſſen &c. *Alius eſt connectendi modus per oppoſitionem contrarii, e. g.* Ob nun wohl Urſache ſattſam hätte/

te / dieser verdrießlichen Sache auf alle Wege und Weise mich zu entheben / so ist doch die Verbündligkeit gegen ihn so groß / daß ꝛc. *Alius modus est per communicationem:* Nun gebe ich dem Herrn zu bedencken / der Herr erwege doch / betrachte / bedencke / schliesse bey sich selber; Demnach lasse zu dero Hoch-Fürstlichen Durchl. höchstvernünfftigen Ermessen / Hochverständigen Gutachten ich hiemit unterthänigst gestellet seyn. *Alius modus est per concessionem*, e. g. Gesetzt nun / es sey diesem also. Wenn nun gleich alles / wie erzehlet / so beschaffen / ich lasse es geschehen / lasse es dahin gestellet seyn. *Aliæ connexiones per correctionem, exclamationem, detestationem, præsuppositionem* occurrunt qvidem in epistolis, sed non ita semper, atqve freqventer. Cæteræ *formulæ digressionum, regressionum & transitionum* fingi ad modum literarum possunt. Ex his, qvæ de literis germanicis adduximus, satis, credo, liqvet, qvomodo in epistolis germanicis for-

man-

mandis res inſtitui debeat; qvanqvam & hic multum relinqvatur exercitio & induſtriæ. *Puritas & elegantia ſermonis non affectata inter optima ejus ornamenta ſunt*, qvæ cognoſci poſſunt è vitiis ſtyli germanici, qvæ aliqvot exemplis proponit SPATIUS in der *Secretariat*-Kunſt *P. 2. cap.* 16. ad epiſtolas vel Libellos, qvi ad rem litigatam & proceſſus ſpectant, commendari poteſt VOLCKMANNI *Notariat*-Buch.



PARS II.

continens *Exempla Epiſtolarum.*

DIximus in Prima Parte de Enthymematibus Oratoriis, qvæ adhibentur ad epiſtolam ſcribendam, nunc praxi ipſa oſtendemus, qvomodo illa adhiberi debeant. *Atq; ea ſunt ſingularia & propria unicui-*

qve

qve epistolarum generi, dividuntur enim illæ ratione causarum; Nam *vel laudamus, vel svademus, hortamur, petimus, commendamus, amicos nobis conciliamus, vel accusamus, reprehendimus, exprobramus aliqvid*, in qvibus omnibus enthymemata illis generibus familiaria adhiberi debent. *Genemlia* ista *enthymemata* non ab *Aristotele* tantùm, sed à qvibusvis *Epistoliographis* sunt consignata, ordinatè verò & distinctè *ab Aristotele.* Nos initium faciemus *à Generis Deliberativi epistolis*, in illo enim præcipuè versantur negotia, qvæ cum amicis communicamus. *Primum sit exemplum epistolæ, qva Pater hortatur filium, ut tempus in Academia benè collocet, nec otio aut luxu transmittat.* Enthymemata, qvæ illuc faciunt ex *Aristotele Lib.I. Rhetor. cap.6.* desumi possunt. Ἦθος *prudentiæ & benevolentiæ* ostendi debet, cui servit integrum *caput 4. lib. 2. Rhetor.* πάθος *æmulationis* excitari potest, qvomodo id fieri debeat, ostendit *Aristoteles Lib.2.*

Rhe-

Rhetor. cap. 11. Enthymemata illa ἤθη & *πάθη ex Aristotele* excerpsit *Scraderus dispositione epistolica* 19. Hæc qvidem adhiberi omnia possunt, si epistola ejus argumenti scribenda est, non tamen omnia enthymemata simul adhiberi debent, sive qvod qvædam vulgaria sint ac per se nota, nec magnoperè inculcanda, sive qvod sciamus, unum validius esse altero in movendo, ideoq; omitti pro lubitu & rei ratione possunt, qvæ nobis videntur. In hoc nostro exemplo ubi parens scribit, vel omitti enthymemata possunt, aut obscurè subinnui. *Parentibus enim pro ratione voluntas est, nec tam hortari eos filios decet qvam imperare iis. Ex persona itaq; scribentium & ejus, ad qvam scribitur, moderanda sunt argumenta, & vel majori studio inculcanda vel pressius breviusq; attingenda* Primum hic enthymema est præcipuum Scopus propositus: deinde turpitudo temporis in luxu consumpti. Πάθος erit præcipuum amor & sollicitudo parentis, qvi gra-

graphicè depictus omnium instar argumentorum est, qvibus minæ etiam possunt addi si spreverit monita. H″9@ prudentiæ præcipuè eluceat. Ad imitationem proponi possunt epistolæ *Ciceronis ad Trebatium Lib. 7. ad Famil. epist. 9. & 1. Lib. 1. ad Qvintum Fratrem, Epistola pulcherrima sanè & luculentissima, qva fratrem ad præfecturam Asiæ benè gerendam hortatur.* Qvæ formulas aliqvas subministrare possunt transitiones enthymematum. Qvanqvam ultima hæc *Ciceronis ad Qvintum Fratrem epistola non tam epistola sit, qvam Oratio, nam stylo penè Oratorio conscripta est, periodos numerumq́ habet oratorium, verba magnifica plus qvam epistolarem genium spirantia, sententias gratissimas & reconditas*, ad compendium aliqvod istius, qvod gerit Magistratus Civilis.

Exemplum Epistolæ.

Annus ipse est, qvo è domestica disciplina, è manu atqve adeò è sinu meo dimis-

dimissus eo in loco versaris, cujus & celebritas decantata est, studiaqve, qvæ à Viris scientissimis docentur, ad ipsa sapientiæ penetralia facem tibi præferre possunt. Ac meministi sanè vel me tacente, qva sollicitudine ac diligentia per autorum optimorum abdita circumduxerim saluberrimisq; monitis, tum ad scientiam non vulgarem conseqvendam, tum ad actus in vita civili instituendos jam inde à puero instruxerim, ut nihil qvidem eorum deesse tibi possit, nisi tu ipse committas, ut oblivione eorum tibi ipsi desse velis. Qvoties porrò animum repeto te è conspectu meo semel unico in loco vivere, in qvo libertas vitæ facilè degenerare in licentiam potest. Toties me suspiciones tui causam habent sollicitissimum. Non habes monitores, qvi tibi aurem vellicant, otianti nisi animo tuo jam obfirmato duci te pateris, qvod an tenera ista ætate sperare habeam, dubitandum mihi sanè est. Occentabunt tibi undiqve Syrenes, qvibus nisi aures ob-

obſtruxeris, ipſe ille locus, qvi ad ſalutem animi tibi datus erat, in diſcrimen vel ipſam pernitiem adducet. Excute igitur ſi ſapis omne voluptatum ingenium undiqve te circumſtantium, qvæ à regia virtutum via in transverſum te rapient niſi prudentia vel Doctorum vel tua vias tibi muniveris. Dum alii Bacho madent poculisq; implentur, tu operam da, ut literis tingaris easq; qvaſi diuturnam explere ſitim cupiens, arripias avidè ac mentem rerum cognitione ſatures. Cùm meretriculas ſcitantur alii, tu virgines Muſas ſecutus earum ingenti perculſus amore ſacra tractare ne deſinas. Præ cæteris eloqventiæ tibi ſtudium habe commendatiſſimum, qvo velut vinculo qvodam humana omnis continetur ſocietas, qva ut inſtrumento neceſſario omni in vita uti poſſis. Huic ſi adjungas rerum civilium prudentiam, non pœnitendos Academiarum fructus mihi videberis conſecutus. Qvod ſi ergo ita vitam inſtitutam tibi intellexerim, ut industri-

duſtriam pariter ac pietatem omnibus viribus ſectatus, ſuis qvaſi locis & frenis commodè regi contendas. habebis me parentem indulgentiſſimum, qvi nec ſumptibus parcet, nec laboribus, ut te omni ſtudiorum genere reddat qvam ornatiſſimum. Sin, ſcias velim, non defutura mihi media, qvæ vel ignaviam tibi excutiant, vel male viventem pœnis coërceant. Vale.

Huic epiſtolæ ſi reſponſoriam parare velis, non opus eſt, prolixè enthymemata circumſpicere, repeti enim pleraqve poſſunt. Ἦθος verò grati animi & πάθος amoris filialis addi poſſunt. Pro amore & ſollicitudine paterna gratiæ agendæ, diligentia noſtra ac induſtria modeſtè laudanda, obſeqvium, gloria jactanda, pollicenda omnia, qvæ in poteſtate tua ſunt.

Exemplum Reſponſoriæ.

Spirant paternum affectum & ſollicitudinem literæ, qvas ad me nuper dediſti,

lecti Parens optime: Qvæq; cum hortari me laborant ad excolendum studiis & virtutibus animum acta mihi agere videntur: Id certè efficient, ut multis mihi opus esse monitis videantur. Percepi illa Parens optime, & hærent etiamnum menti infixa præcepta ex ore tuo volata, qvæ ut qvondam aures implevere, ita qvotidie nunc animo observantur. Nec desunt hic alteri qvasi parentes, qvi omnibus mihi penè horis eadem occinunt. Habeo monitores vivos ac mortuos: Illos audio, hos lego, & ex utrisqve rationes vitæ subduco. Nulla mihi otia nisi docta, neqve inter poculorum remiges, qvòd multos facere video, dies noctesq; comburo. Cane enim pejus & angve barbariem hanc odi ipsos barbaros, qvibus interdum in Academiis habemus barbariores ablego. Cujus meæ vitæ testes non tantum domesticos, sed & alios omnes habeo, bonos sanè ac doctos, cum qvibus familiariter vivo. Huic vitæ porrò insistam, atqve operam dabo

 bo

bo ſedulò, ne ab ea in transverſum rapiant communia Academiarum & ætatis vitia. Qvare certa ſpes me tenet, nullam in me qvidem fore cauſam, qvæ paternum iſtum amorem abalienare vel ſaltem imminuere poſſit, qvo magis perpetuum eum ſpero ac propria omni opera conatu ſtudiisqꝫ favendum.

Epiſtola Conciliatoria.

Ea ſolemus favorem & benevolentiam Virorum illuſtrium nobis conciliare. Enthymemata, qvæ hic adhibentur, petuntur à laude ejus, ad qvem ſcribitur. Cujus argumenta plurima ſunt apud Ariſtotelem *Lib. I. Rhetor. cap. 9. è qvibus eligantur commodiora. Id qvod perſvadere illi nitimur his rationibus fiat, qvæ reperiuntur apud* Ariſtotelem *Lib. I. Rhetor. cap. 6. commate 351. Rhetor. c. 7. commate 49. & 63. παθητικὸν erit verecundia, ſui exte-*

extenuatio, confitentia, gratus animus.

Exemplum Epistolæ Conciliatoriæ,

qva Enthymata petuntur à laude, πάθους verecundiæ, extenuationis & confidentiæ potissimum exprimitur.

Qvanqvam obturbare præstantium Virorum negotia vel imprudentiæ vel impudentiæ saltem speciem præ se ferat, Tuq; Vir præstantissime eâ dignitate collocatus sis, ut ab ore tuo pendeant omnes, ad nutum tuum vertantur omnia, ea tamen me vis blanditiarum me impulit, ut à scriptione temperare me non potuerim, Scio non defuturos, qvi criminis me alicujus reum pronuncient, importuna hac mea interpellatione publicis commodis molestum vel audaciam saltem nonferendam interpretentur. Sumpsi toties in manum calamum, toties-

tiesq; magni tui nominis reverentia illum excussit: Qvam ut tacitus tibiqve ignotus hactenus apud me religiose servavi, ita interpretibus tibi literis eam declarare in parte aliqva pietatis meæ, utut temerariæ collocavi. Hanc, qvanqvam ipse improbo inveniet tamen ut spero, magnum sibi in humanitate tua patrocinium, qvæ sublimitatem illam ingenti ad summa, qvæqve sublati ad rerum infima qvæqve demittit. Qva fretus spe perfricare meam frontem incipio & ultro hanc audaciam, qvæ ad te tantum virum viam affectat, & reprehendere intempestivam illam verecundiam, qvæ in lucrandis Patronorum animis ignava est ac parum sedula. Velis nobis igitur æqvi boniq; consules hoc meum placendi studium, qvod sua tueatur innocentia, tua nec improbavit summa æqvitas, ad cujus tribunal omnem hanc liticulam, qvæ mihi tecum ipso intercedit, jure meritoq; devolvo. Qvare vide, an causa mea cadere possim, qvi ipse me de-

do

do tibi totum, & inter res tuas te addicente judice haberi volo. Expectabo interim, qvam in partem casura sit sententia cui me pariturum ea, qva par est, observantia, promitto.

Responsio ad Epistolam Conciliatoriam.

In responsione ad priorem epistolam ENTHYMEMATA *non sunt longè qværenda; qvæ laudantibus & amplificantibus sententiis potissimum constant. Laudatur affectus erga se, erga studia sua πάθος & benevolentiæ significatio, gratiarum actio.* Ἦθος *humanitatis est & modestiæ, gravitatis etiam tota Epistola referta.*

Exemplum I. Epistolæ Responsoria.

Non potuerunt ingratæ mihi accidere literæ tuæ tantæ humanitatis, ut vel

Catones morosissimos exorent; nedum qvi nunqvam ea rusticitate fui, ut amicitiam meam ambientes intolerabili fastu repellerem. Distringor eqvidem negotiis & mihi ipse penè desum rebus meis, sed tamen ita totum aulæ me non dedo, ut humanæ me societatis oblivio capiat, ut amicorum meorum velim jacturam, eorum præsertim, qvi tanto me affectu, ut tu facis, proseqvuntur. Qvare nihil magis mihi ingratum est ingratissimis literis, qvàm intempestiva illa verecundia, qvam ita dediscas velim, ut nunqvam imposterum hunc infucata amicitia errorem committas, neqve profectò is sum, aut esse cupio, qvi meticulosam aliqvam reverentiam malit, qvam amoris fiduciam. Indignor etiam tibi in laudibus meis intemperantissimis qvas tantum abest, ut meas tibi velim, ut ne qvidem humanas. Qvare per amicitiam meam, qvam utraqve manu largior, obtestor te atqve adjuro, ne imposterum istis lenociniis sincerum amorem tuum

tuum injicias, aut mihi invito elogiorum meorum lectori molestus esse pergas. Cæterum cum nullum svavius lucrum, qvam amici favor esse possit, nunc qvoqve mihi de nominis tui accessione gratulor, adeoqve non tam rogatus, qvam sponte mea inter tuos numerari volo, qvi te semper colui & apud amicos meos deprædicavi. Te verò etiam atqve etiam rogo, ut in affectu isto persistas, meq; porro ames. Vale.

Exemplum II. Responsoriæ ad Conciliatoriam, qvâ Poëta misso carmine amicitiam alicujus ambit unà cum excusatione silentii.

Ut grata mihi semper est conversatio, qvæ à clarissimorum virorum literis peti solet, & tua mihi non parum jucunda est, qvam æqvè mihi exoptare velim, ac tu illam summo studio & missis etiam muneribus ambis. Qvorsum verò immo-

dicæ illæ laudes pro ſumma tua humanitate tam liberali manu ſpargis? à qvibus cum longius abeſſe me ſciam, ignoſces, ſi ea in re te nimis Poetam vel à veritate abſuiſſe, qvam à Poeta veluti à jurato teſte non adeo rigidè exigendum ipſi te Poetæ docuerunt: vel ut mitius appellem finxiſſe aliqvanto liberalius te dixero. Ut extra vos rapi nonnunqvam ſoletis Vates, ita extra ſe & ordinem illum, qvo communis hominum æſtimatio locat, alios ſæpe ponitis non homines, ſed ideas delineantes vel Metaphyſica cum Philoſophis graſſaturi. Ac facile qvidem apud me illa benignitatis tuæ culpa excuſationem invenerit, modò apud te negligentiæ culpam ſilentio meo ſubeam. Qva tamen ſi me audis, liberare me qvodammodo potero. Nec enim tam agreſti animo eſſe credas velim, qvaſi præſtantium ingeniorum amicas compellationes faſtidioſo ſpernere ſilentio conſveverim. Nam cum primas tuas omnino non acceperim, ſecundas verò, qvod ad prio-

priores sese rejiciebant, vel non satis cœperim, vel qvod ab ignoto homine obiter traderentur, ut nesciverim, qva via mitterem ad te literas; Factum hinc est, ut intercedente mora illa literarum ab officio retractus penè oblitus fuerim respondere. Cum interim tertiæ tuæ obveniunt & aurem mihi vellicant, nunc ut emendum opus erit, si qvid ea in re à me peccatum est: Tu verò gratiorem mihi mulctam imponere non poteris, qvam si missis subinde literis vel cum convitio provocaveris. Qvod si & muneribus animos placandi qvædam vis inest, mitto qvædam præ manibus fuere carmina in ἀντίδωρον, qvæ si tibi, ut mihi tua placuerunt, est qvod eo nomine mihi gratuler. Ego verò ob missum tam egregium munus multum te amo. Ad ipsas illas aras, qvas carmine celebras, te adjurans, ne Phœbeos illos ignes, qvæ non nisi crebra aluntur exercitatione, extingvi permittas. Vale meq; amare, qvo cœpisti affectu, persevera.

Exemplum III. Responsionis ad Conciliatoriam, qvæ ad Carminum aliqvorum transmissionem scripta.

Nunqvam credidi fore, ut levibus atqve exiguis meis chartulis tantum statueretur pretium, qvod fieri abs te ex humanissimis tuis literis intellexi. Tantum enim abest, ut laudes illas, qvas affectus mihi tuus plena manu admetitur, agnoscam, ut potius indignum me iis æstimem; Siqvidem meo me pede & versiculorum pedibus metior. Qvare vide, qvid agas, Vir amplissime, ne summa ista judicii tui liberalitate (pene prodigalitate dixeram) homini aliàs facile intra suam pelliculam se continenti majora, qvam par est persvadeas, vel ea cupidius de me prædices, qvæ detrahant de judicii tui opinione apud veros rerum & honorum meorum æstimatores. Ne verò vim facere profusissimæ tuæ voluntati & ar-

arguere te ſummum ſeculi noſtri virum, & præterea mei ſtudioſiſſimum videam, qvod & inhumani eſſet & ingrati, qvalicunqve interpretatione laboranti veritati ſuccurrendum eſt & ab ingenio & affectu tuo rependendum, qvod illi decedit. Interim gratulor muſis meis, qvod ſuorum carminum vinculis animum tuum ligare & faſcinare potuerint, ut familiarius mihi jungi velles. Qvod ut unicè hactenus in votis habui, ita nunc poſtqvam fores benevolentiæ mihi patere video, majori fidentia viam ad illam affecto. Vale, Vir excellentiſſime, qvem enixè rogo, ut qvandoqve amicitiæ Tuæ gloriam primus non invidiſti, ita porro ſumma iſta humanitate ac favore beare perge hominem tui obſervantiſſimum,

Epiſtola Commendatoria.

Argumenta δέυλικα, ἤθικα *&* παθήτικα *partim à perſonis, partim à re ipſa,*

quæ specialius notata vide à SCRODERO *Deposit.* 10.

Exemplum, qvo Vir doctus Viro docto commendat juvenem & simul silentium excusat.

Qvanqvam in literis ad te dandis hactenus fuerim infreqventior, non tamen vel ab officii mei remissione vel qvacunqve alia causa id profectum est, nisi qvòd manibus ac sterilibus literis otia tua publicè profutura immodesti esset hominis, tuaqꝫ humanitate abutentis existimaverim. Earum certè freqventia qvam raritate magis peccare mihi videor. Qvod nunc scribam, precibus suis me commovit juvenis ob modestiam ac raras ingenii dotes mihi commendatissimus; magna etiam tui nominis fama commotus omni ope studioqve annisus est, ut viam ad favorem tuum sibi pararem, qvam cum præ omnibus me sibi posse

posse monstrare crederet, inhumanus certè & inofficiosus videri potuissem, si, qvem omni consilio studioq; hactenus juvi, honestissimis in desideriis destituerem. Fuit is qvasi in sinu meo enutritus, ab ore meo pependit monitis atqve præceptis ad omnem divinam humanamq; sapientiam incitatus; humanioribus verò uteris, qvoad fieri potuit, ita est cultus, ut præclaræ messis spem ipsa in semente fecerit. Horum omnium ego testis domesticus, majori tibi fiducia juvenem hunc commendo, eoq; magis, qvo ille desiderio te cognoscendi ardet. Ac multum profectò hominem amo, qvod jam tum ea in ætate eo judicio præditus prævideat, qvos ex tua Viri in omni doctrinæ genere summi & in commune omnium exemplum nati familiaritate fructus percipere habeat. Noli itaqve dubitare favore tuo dignum esse juvenem, qvem bona ejus mens atqve indoles suo qvasi jure expetere videtur, ac sane virtus vel absqve præconio ani-

mis hominum foveri meretur. Dabis deniqve id amicitiæ etiam nostræ, qvam cum sanctam integramq; conservaveris, nunqvam non tuum esse velis, qvi meus est, atqve adeò communi isto jure humanitatis, ut sunt omnia amicorum communia, frui patiaris. Qvare mihi ipsi factum interpretator, qvicqvid illi benigni feceris, gratoq; agnoscam animo, qvod & ipse faciet. Nec solum in suo sinu de eo gaudebit, sed & laudibus publicis prædicabit. Vale, & me cum illo ama.

Responsoria.

Enthymemata Responsoria ad Commendationem inventu facilia sunt. Ἦϑος præcipuum est in laudatione, commendatione & benevolentiæ suæ testatione. Πάϑος spei ostendatur, qvo promittantur sibi & civitati multa ex commendato bona. Argumenta δεικτικὰ de-

depromi possunt ex cap.23. Lib. Rhetor. Aristot. *qvæ explicatius legantur apud* Scraderum Disposit.13.

Exemplum Responsionis ad priorem Epistolam.

Magnæ mihi fuerunt literæ tuæ voluptati, majori futuræ si crebriores nec tam parca, ne dicam avara à te manu mittantur. Qvare vide, ne socordiæ & negligentiæ tuæ imputem, qvod tu, si Diis placet, prudentiæ vis esse argumentum, ne scilicet manibus literis otia mea literaria occupentur. Belle tu qvidem & lepide isto artificio usus es, ut qvoniam tibi vel negotia tua vel segnities officium literarum non permittit, à me ipso langvoris tui excusationem arcessas. Non feram imposterum has arguntiunculas, qvibus imponi sibi amor noster non patitur, & tu profectò id operam dabis, ut etiam, cum aliis non urgeris, possis velisqve scri-

ſcribere. Multum itaqve amo juvenem vel eam ob cauſam non mihi ingratum, qvod ſaporem hunc tibi excuſſerit. Amo certè ingenua pectora ſtudiis bonarum artium innutrita, qvalia à Te Viro humanarum atqve divinarum rerum ſapientiſſimo diligi commmendariq; novi. Vel eo nomine gratus omnibus bonis erit, qvod te uſus ſit familiariter, qvi neminem admittis ad arctiorem ſatietatem, niſi qvi te dignum ſe tuisqve moribus præſtat. Numerabo igitur tuum etiam inter meos qvandoqvidem tuum vis eſſe meum. Ac ſi à me qvid proficiſci poterit, qvo ſtudia ejus honeſtosq; conatus juveni, nihil qvid in me patiar deſiderari. Tu modo ſubinde tales ad me mitte, qvi te ad freqventiores literas excitent, mutuumq; amorem datis qvoqve obſidibus confirment. Vale.

Epiſtola Gratulatoria.

Hæc pro re, de qva gratulamur, diverſa habet Enthymemata ſpecialia.

Varia

Variis enim sunt, de qvibus gratulamur: Gratulamur de honoribus, de bonis variorum generum, de factis illustribus, in qvibus omnibus argumentis repetendi sunt speciales loci ex genere demonstrativo. Exempla aliqvot Gratulatoria in Dispositionibus suis Epistolicis habet Scraderus, *qvi ex Aristotele eruit præcipua ad rem facientia Enthymemata. Variant etiam illa ratione personarum, qvibus gratulamur, earumq; qvi gratulantur. Aliter enim instituenda est gratulatio ad Principem, qvales institui possunt de variis materiis, e.g. de collato Principatu, de nato hærede, de parta victoria, de illustri aliqvo facinore, de expugnata urbe, de novo anno. Aliter item instituenda cum gratulantur ipsi Principes. Aliter cum Magistratus inferiores & cives. Aliis utimur Enthymemati-*

matibus cum ſcribimus gratulatorias literas ad pares & amicos; Illic familiaribus qvibusdam Enthymematibus expediri res poteſt. De ea Tractatione fuſius dicetur in ipſis Rhetorum libris atqve ab ipſis Epiſtoliographis, ut non ſit opus iis immorari. Nos exemplum gratulationis de Doctoratu & qvidem in Facultate Juridica.

Exemplum.

Cum ſoleam ſemper Amicorum fortunis affici æqvè ac meis, Tu verò inter eos principem facilè teneas locum, ut tibi perſvaſum habeas velim nullius hominis ad me magis pertinere fortunas ac ſalutem qvam tuam, ut meis etiam potiorem habere rebus non dubitarim. Nunqvam viatores hic tranſeunt, qvin eos de rerum tuarum ſtatu interrogem, ſi ſegnior ipſe es in literis. Et nuper me magna lætitia perfudit nuncius de ſummis

nis in Juris ſapientia tibi oblatis honoribus, adeò ut affectus gaudii ſtatim in hanc eruperit epiſtolam. Ego verò tibi gratulor hanc dignitatem, qvæ qvia digno data eſt, eo nomine præcipuè nunc appellanda eſt; Qvem enim latent admirabiles ingenii tui dotes, qvas in puero ſuſpexerunt Magiſtri in Juvene coætanii, in viro admiranturomnes, qvibus penitiorum literarum aliqvis ſenſus eſt. Accedit his illa morum honeſtas, animi candor, amica virtutum omnium conſpiratio, ſine qvibus nec ipſa tibi ſapientia ſaperet; Nec iſti tui honores in pretio habendi, qvi niſi in benè præparatum pectus inciderint, magno hominum bonorum malo incidunt. Qvare non tam tibi qvam reipublicæ honores iſtos gratulor, qvæ iſtum in te virum nacta, nunqvam tuo infelix eſſe præſidio poteſt; Sive enim te conſiliis admoverit aliqvando inveniet in te Mecœnatis vel Agrippæ alicujus ingenium; Sive Tribunalibus præfecerit, Lycur-
gum

gum aliqvem vel Zeleucum inveniet, ut nunqvam in rebus gerendis prudentiam, benè gerendi honestatem desideratura sit. Qvæ futura esse jam tum animo & spe percipio, itaqve propediem eveniant opto, ut verò honorem istum ad majorem gradum fuisse intelligamus, qvem non in tertiis ac secundis tantum, sed in primis consistere dignum judicant omnes.

Si q is in cæteris gratulandi argumentis occupari velit, Enthymemata singularia suppeditabunt tum dignitatum tum personarum. *Sunt verò dignitates vel militares vel scholasticæ, vel superiores vel inferiores. Sacræ sunt Pontificatus, ArchiEpiscopatus, Episcopatus, Sacerdotia. Civiles, Regnum, Ducatus, Præfecturæ; Militares itidem variæ. Scholasticæ sunt Gradus iiq; vel Theologici vel Juridici, vel Medici vel Philosophici. Porro ratione temporis vel perpetuæ vel ambulatoriæ, vel transmittuntur ad hæredes vel ad vitæ tempus durant: ut Consulatus,*

Le-

Legationis dignitas, Nobilitatiô. Aliæ sunt successivæ, aliæ electivæ, qvibus in speciebus singulis sua nascuntur Enthymemata, qvæ exercitium ipsum longè suppeditat promptius. Mihi certè non incommodè videtur, qvemadmodum aliqvando hoc consilium in Poeticis Inventionibus subministravi, ita qvoqve hic pleraqve omnia contineri posse memoriali illo tristissimo versiculo:

Qvis, qvid, ubi, qvibus auxiliis, cur, qvomodo, qvando?

Non enim tantum in hoc versu generales illi tituli, qvibus Enthymemata continentur, comprehenduntur, sed præterea loci illi dialectici, qvi suppeditant argumenta, tum amplificantia tum moventia. Sic τὸ *Qvis* comprehendit laudem personæ, cui dignitas confertur & à qva defertur, subministrabit etiam argumenta personam, qvæ scribit, spectantia. Τὸ *Qvid* continet laudes ipsius dignitatis, ubi de magnitudine ejus, maje-

state

ſtate & præeminentia dici poteſt. Comparatio inſtituitur inter perſonam & dignitatem, qvemadmodum ille munus ſuum ornet, non verò multum ornetur ac ab illo, qvas vires afferat, qvam prudentiam. Tò *Ubi* loci circumſtantiam habet, ſi in ſolenni loco in templis, ſub dio, coram altari in urbe aliqva præcipua conferatur dignitas. Qvi copioſior fons eſt pro Poetis & Autoribus qvam Epiſtoliographis; illis enim hic licet fingere allocutiones ad genium loci, ad Deum, ad Urbes, ad aras, qvanqvam & ſi modeſtè verſetur in eo Epiſtoliographus levi aliqva apoſtrophe ſimile qvid facere poſſit. Tò *Qvibus auxiliis* deſignat cauſas impellentes & ſocias, inter qvas referri poteſt electio & ſucceſſio. Si electio, dicas illum virtute ſua meruiſſe dignitatem non emendicatis ſuffragiis, caſu, dolo fraude, adeoqve ſua abſtuliſſe debita & proœmia. Si ſucceſſio, dices, hæretitarias in illo eſſe virtutes & data occaſione commendentur primogenituræ

& ſuceſſionis jus, qvæ illuſtrari poſſunt variis comparationibus à natura arborum, agrorum, animalium &c. petitis. Anteceſſor qvoqve poterit laudari, ita tamen ut Succeſſor præferatur. Si qva fuerint etiam omina vel divina auſpicia, huc pertinent. Poetis ea fingere licet. Recenſeri etiam poſſunt, ſi qvæ præceſſerint merita ac laudari. Τὸ *Cur* cauſam finalem notat, qvi in Magiſtratibus eſt ſalus publica, reipublicæ vel totius vel partis ejus legitima adminiſtratio, jurium conſervatio, Gentis & imperii incrementum, ſacrorum cura, tribunalium & juſtitiæ incorrupta adminiſtratio, literarum, Academiarum, Scholarum cura, & reliqva Magiſtratûs Politici officia. Τὸ *Qvomodo* involvit varios ritus in ipſa dignitatis collatione obſervari ſolitos, qvorſum ſpectant preces, unctiones, inveſtituræ, infulæ, pallia, faſces, coronæ, laurus, ſceptra, claves, gladii, annuli, poma aurea, & ſi qvæ alia ſunt, auſpicii Regii vel Ducalium vel Epiſcopalium, &

alia-

aliarum dignitatum ſymbola. De qvibus ſingulis integra pene volumina conſcripta ſunt, & ad qvas variæ alluſiones formari poſſunt; Τὸ *Qvando* tempus notat; Hic conſidera, qvo anno, die, menſe fiat. An eo die, qvid memorabile antiqvitus geſtum ſit &c. an in pacato, an in turbulento ſtatu reſpublica, an præſenti tempore memorabile aliqvid in republica geratur. *Exemplum gratulationis de Magiſtratu abſolutiſſimum vide in Epiſt.* I. *ad Qvintum Fratrem, qva Cicero fratri ſuo gratulatur de præfectura Aſiæ.* Hinc ſi qvis imitationem in argumento ſimili, paret, abundè ſuppetet omne Enthymematum genus, qvod ad talem epiſtolam ſpectat. Si qvis gratulari alicui de novo anno velit, Enthymemata, qvæ illuc ſpectant, ſuppeditabit SCRADERUS, apud qvem, inter Diſpoſitiones Epiſtolicas, una eſt filii ad parentem de novo anno gratulatoria *p.35.* πάθος hic erit, ſi lætitiam conteſteris, ἦθος, ſi pietatem & gratum animum, λόγος, qvo col-

collata à Parente beneficia extollas. Generatim hic confiderabis circumſtantias varias, an annus fuerit clymactericus, an periodicus, vel ſimiles; an dies incidat in natalem, cui gratularis: an annus inter morbos vel alias vitæ ærumnas ſit exactus: an peregrè, an domi, an in bello vel in pace. Ratione perſonæ ſub manu etiam naſcentur varia Enthymemata aut argumenta amplificantia. *Exempla Epiſtolarum gratulatoriarum de novo anno ſuppeditabit*, RUPERTUS *in Mercurio epiſtolari*. Nos ejus etiam aliqvod exemplum proponemus, & qvidem ſub nomine ordinis literati ad Principem, qvæ & Orationis vice eſſe poſſit.

Exemplum Gratulationis ad Principem de felici novi anni initio, nomine ordinis literati.

Felicibus iterum auſpiciis, Princeps Sereniſſime, anno veteri finem imponimus,

mus, novumq́ exordimur, qvo inprimis tempore ut ex antiqvissimo omnium Gentium ritu, omnium solent fervere studia, ita nos qvoqve, ne muneris nostri immemores videamur, omnia tibi bona hoc ex initio auguramur, nosq́ ad anni hujus felicitatem componimus Indorum Philosophorum morem imitaturi. Accedebant illi vertente anno regium Palatium & rationem eorum, qvæ vel observassent vel egissent, edebant, ita & nos tibi communi nostro Apollini studiorum nostrorum specimina, cumq́ iis fidem, omniaq́ obseqvia offerimus. Tibi in acceptum ferimus, qvod libere hic Spiritus trahere tuos, tuaq́; vesci aura musæ nostræ possint in novo hoc literarum sacrario, qvod tuis auspiciis ad omnem æternitatem consistit. Qvin & illæ tibi Phœbo suo non annum hunc tantum nobis, sed integra secula pandenti ingrati animi documentum vectigales illas voces, qvas unicè depromit in omne ævum duraturas, strenæ loco persolvent.

Ea

Ea olim ex luco ſtreniæ Deæ petebatur; at nos ex Muſarum ſylvis illam tibi decerpimus, non verbenam veterum more, ſed laurus noſtras tua conſitas manu oblaturi. Ea munera ſunt, qvæ tibi pro more veteri his ipſis Calendis dedicamus, ſed qvæ offerre non poſſemus, niſi tua liberalitas ea nobis conceſſiſſet Qvod ſi olim Cives Imperatoribus munuſcula miſerunt, & tibi offerimus arctioribus obſtricti vinculis majori jure obnoxii. Verùm cum munera potius expectare qvam dare conſveverint Muſæ, ne tamen & illæ morem hunc migrent, ſeipſas tibi dabunt, qvod eo gratius tibi donum erit, qvo majus eſt omnibus, qvæ à qvoqvam afferri poſſunt. Largiantur alii ac promittant aureos montes nos eruditi Parnaſſi pulveres largimur, è qvibus non minus aurum, vel illud qvod auro contra carum eſt, qvam ex ipſis fodinis effoditur. Tradimus tibi vectigales animos noſtros, & qvicqvid fundo illo ſubnaſcitur, omnem ejus culturam, omnes

proventus non annos aliqvos, sed integra secula duraturos. Delibamus tibi de fontibus Castaliis tuis, auspicii gratia, hac velut ratione, à qva virgine tincti teq; ipsum tincturi. Votorum integras segetes, plena tibi manu offerimus. Neqve enim annare tantum & perennare te feliciter jubemus, sed & de nostris annis, imò ab ipsa æternitate (qvod Musis solis licet) integra Tibi secula decerpimus. Vive Principum decus, literarum stator, vive ad votum, sed supra omnium hominum vota & secundum tua fata.

Epistola Dehortatoria.

Enthymemata, quæ hic adhibentur è Locis Generis Deliberativi, omnia sunt petita. Nam qvemadmodum in Hortatoriis svademus, ita in Dehortatoriis dissvademus. Illic argumenta ducimus ab honesto, utili, jucundo, necessario, facili; Hic à locis contrariis. Specialia Enthymemata

ta sub locis generalibus contenta materias speciales suppeditant, sed qvæ facili negotio ab his generalibus velut qvibusdam indicibus demonstrantur. Nos exemplum hic dabimus dehortatoriæ Epistolæ ad eum scriptæ, qvi relicto studio Theologico vitam militarem elegerat. Enthymemata hic paratu facillima, qvæ ex Locis Generis Deliberativi erui possunt. Ab altera parte petantur argumenta studium Theologicum svadentia, ab altera parte argumenta vitam militarem dissvadentia Utriusqve generis argumenta inter se conferri possunt.

Exemplum Epistolæ Dehortatoriæ.

Perculsus nuper insperato nuncio de μεμψυμοιρίᾳ tua ac vitæ militaris electione præ studii Theologici fastidio. Diu mecum dubitavi, an auderem te compellare literis meis, qvi atroci adeo non in Musas tantum sed & in sanctissimam Eusebiem raperis odio, ut omnem ejus

cultum ejuraveris. Nosti multorum de te vota & expectationes, qvibus qvàm pulcrè scilicet tu nunc respondeas non sine animi mœrore ac horrore mecum reputo. Tu solus è fratribus tuis relictus es nobis, è cujus præstanti indole omnia tibi præclara augurabantur non familiares tantum tui, sed qvi & pulcherrimas animi tui dotes penitius noverant. Nunc omnis illa spes in irritum cadit, totq; præclari conatus impia ac inconsulta tua temeritate planè interficiuntur, dum Tu, qvod studiorum tuorum præmia tam segniter procedant, nescio qva turpissima indignatione cum fronte & pudore ipsam mentem exuis, atqve à divinarum rerum studiis avocas. Qvod si ejus aliqvid tibi relictum est, redi ad illam, redi ab exitio tui ad te ipsum, ac illum te nobis præsta, qvi antea videbaris, gnavum, acrem, sedulum, industrium. Cogita qvam te perditum è sapientiæ divinæ humanæqve castris transfugam, detestentur parentes, exsecrentur

Com-

Commilitones, oderint omnes boni. Si hactenus tibi non licuit decerpere laboris tui fructus, qvis scit, qvid postea futurum sit. Forsan in ignoto sors tua floret humo, cùmqꝫ tam propè brabæo sis ut manu prehendere possis, qvamvis turpe in ipsa via in ipsa meta ante ipsam palmã deficere. Nosti qvas Tu molestias pertuleris, qvæ nunc omnes frustrà sunt susceptæ, postqvam è sacro milit in profanum degenerasti, magnus olim futurus, si tuis castris relinqvereris, divinæ palæstræ Promachus. Objice nunc animo tot bellorum calamitates, tot furta, rapinas, cædes, scelera, qvorum te nunc sponté vel reum facis vel testem aut socium. Et putas illa cum bona mente posse consistere, cum virtute, pietate, cujus à te exspectabamus specimina. Qvam verò metus ne qvis te ad gloriam sternere vias existimas ad perniciem tuam sternas, qvæ ultrix à tergo inseqvetur tam nefaria consilia, cum Tu derelictus ab amicis, à parentibus, à Deo, à bona mente certissimæ relinqveris mi-

 seriæ.

feriæ. Noli ſuccenſere mihi, ſi dehortationem meam in expoſtulationem convertam. Non potes teipſum abjicere, revocant te Parentes, retrahunt omnes boni, ipſe intercedo & divini tribunalis memoriam in animum revoco. Ergo age, qvod reſtat, incumbe denuo honori tuo, & te tibi vindica. Nam cum in qvacunqve re laudabili turpe ſit referre pedem, vide qvid in divina ſit, manum admovere aratro & reſpicere. Tantum te moneo, oro, obſecro, ut has literas eo animo legas, qvo à me ſcriptæ ſunt pio benevolo & Chriſtiano, qvalem tibi opto. Vale.

Epiſtola Svaſoria.

Enthymemata adhibentur Generis Deliberativi, de qvibus in præcedentibus plura diximus. Nos exemplum proponemus Svaſoriæ de matrimonio.

Exem-

Exemplum Epistolæ, qva svadetur Cœlibi matrimonium.

Miror eqvidem qvid hominis tu sis, qvem adeo à re uxoria alienum tuus mihi narravit amicus. Satis diu γὴν pro γῆς mutasti variamq́ eruditionem ingeniiq́ dotes non uno cœlo natos, non uno solo eductas in patriam tuam transtulisti. Ecqvando igitur intra tuam te regionẽ domum scilicet tuam ut Rex & Imperator circumscribes. Præterea & ipsa tibi ætas jam accedit, Hesiodi tricennales terminos qvos si excesseris metuo,

Alma Venus ne sera tamen respectet inertem!
Tondenti qvando candida barba cadet.

Si sapis, muta hanc mentem, redi ad te, imò ad virum, irrue in uxorios amplexus. Stoici, rectè vivere, appellant, naturæ ductum seqvi; atqve in eo, si Tullio credimus, sapientes sumus; si naturam ducem optimam seqvimur. Seqvimur au-

autem, si nec cum Deo, qvi homini illam vitam sociam addidit, Gigantum more pugnemus, nec naturæ, à qva societas illa instituenda est, repugnemus. Qvemadmodum enim Deus ac sagacissima natura cum vita maritat unam cum stipite fabam, non nimis sapienter ab iisdem appositus uxori vir & viro uxor, ne alter sine alterius fulcro collabatur. Vel in ipso cœlo invenies conjugata sydera, qvæ nec Deos potuisse solitarios vivere testantur. Aspice aerem, & videbis aves pariter volantes. Ingredere sylvas & videbis cervos gregatim pascentes. Nulla tam immanis fera est, qvæ sit sine socio. Qvis ergo homo tam immanis & tam ultra naturam ferinam ferus, ut nec admittat parem nec amicum nec conjugem. Neqve profectò cœlebs solùm naturæ sed & patriæ peccat, parum enim diligens civis est, qvi de propaganda civitate non gerit curam. Rectè ex sententia Anthistenis uxorem ducere debetur & naturæ & patriæ. Qvis Socrate castior?

ſtior? uxorem tamen duxit, imò Xantippen. Qvantus Philoſophus Seneca, is poſtqvam à Cathedra qvæſivit, ſapientiam in thalamo invenit Paulinam. Sic qvidem Cœlibatus inter homines ſcelus eſt, qvem non tolerat natura, qvia illam tollit, non Deus, qvia vetuit. Tu mihi tamen audire videris neſcio, qvæ naturæ propudia, homines argutos, qvi neſcio qvibus ineptiis ſophiſticis ducti cœlibatum conjugio præferunt. Jam hic recitare audias ſuos elenchos. Nolo in rem malam incidere, mulieri enim malitiam qvaſi uno jure adſcribunt, qvæ mala attrahit, ut Cæcias nubes. Alius dicit, nolo malitiarum remigium, qvod rimarum undiqve plenum. Nolo hirundines ſub tectis alere, loqvaces enim dicit illas, ut vel tres earum facere poſſint nundinas, vel una laboranti lunæ ſuccurrere. Alius, non opus eſt mihi Melitæa Catella, nolo ventres paſcere & fruges conſumere natas. Alius, nolo illas ſpeculi conſultas pupillas, qvibus

dum moliuntur, dum conuntur, annus labitur. Alius, nolo glires illas, qvibus tota dormitur hiems, qvaq; domi sedent semper compressis manibus & diem humeris protendant. Alius, nolo pati merum mulieris imperium, qvod mixtum esse debere ipsa jubet natura, ipsa jura. Alius, nulla mihi res est cum jurgiis, qvas si voce duriori aliqva compellas *Fumantem vivi nasum tentaveris ursi.* Verùm, ô cœcas hominum mentes! ipsos qvidem illos non viros esse, aut masculum qvid sentire dicas, qvi ita judicant. Sæpe etiam sunt, qvi de virtute sua desperantes viri esse ignorant, qvia uxores suo esse malas vitio permittunt dum vel intempestivè sunt severi, vel intemperanter remissi. Ut hic obtinet *Terentianum* illud de filio qvidem effatum, uxori etiam non malè applicandum; *ut suam qvisq; vult esse, ita est.* Alius mavult esse ἄγαμος, ne liberis obsitam domum aliqvando habeat, imò (qvod execreris) alat. Qvalia qvidem portenta è naturæ

fini-

finibus eliminanda, qvia intra illos consistere recusant, qvos conservant, qvos ampliant, qvi naturam novæ prolis accessione semper dotant. Multum abeunt illi à Gracchorum Patris sententia, qvi omnibus bonis chariores habebat liberos. Vide autem, mihi qvantus sit Paterfamilias. Primum hunc & ex antiqvissimo jure Regem dices, & cui olim jus plus qvam Regium. Qvis mihi autem cœlebs? Solus ille nec alterius nec suus est; sibi servit, sibi imperat, sibi serit, sibi metit, sibi vivit, qvare etiam sibi moritur, qvia non est, per qvem in morte vivit. qvia non vult, ut alii per se vivant. Indignos illos dicas, qvi vivunt in tempore, qvia non vivunt pro tempore aut alius commodo. Aufer ergo mihi istas Vulgi opiniones, qvi talia auribus instillant: ὁ μὴ γαμῶν ἄνθρωπος οὐκ ἔχει κακά. Apage Saturnina illa judicia & hyberna somnia. Sint hæc aliorum κόμμα, non erunt nostræ, non tuæ. Tu aliam nobis, si sapis, meditaberis, Philosophiam ac

Sapientiam, illam ſcilicet, qvam Juſtinianus tuus dicebat humano generi immortalitatem artificiosè introducere. Contemne iſtas Diogenis voculas, qvi ſuſcitanti cuiqvam, qvando ducenda eſſet uxor? μηδέποτε reſpondit & μηδεπώποτε. Neqve enim arbitror inter Phiolofophiæ tuæ placita, *Cyniſmum* profiteberis, ad qvam Scholam, ut relegenter digni ſunt homines, qvi vitam tuam vivunt, Cœlibes μισόγαμοι omnes hujus caninæ ſapientiæ Profeſſores: Nec ſcio aut ſapientior fuerit ille neſcio qvis è Philoſophorum ordine, vel ut rectius dicam Sophiſtarum, qvi ſapienti eſſe uxorem ducendam negabant vel ipſam ſapientiam. Horum nos qvidem hominum magnifica interdum audimus verba & Philoſophicam ſententiam, qvi tamen mirum qvam interdum in ipſa Sapientiæ ſuæ monita impingant ac ægrè barbas ac ſupercilia ſua cupidinis telis ſubducant. Inculcabo tibi præ ſordidis illis Sophiſtis, hominis non qvidem ad Veneres

&

& gratias facti, sed morosi & severi, qviqve vita sua melius & plenius Chrysippo & Crambone omniq; Stoicorum familia virtutes expressit, effatum sapientissimum. Is majori laude dignum censebat bonum maritum qvam bonum Civem, vel Senatorem. Audi voces has gravissimi Senatoris, acerrimi Censoris, qvi nisi fallor, rectius ad melius de vitæ officiis omniqve societate civili judicium ferre potuit, qvam omnes isti Scioli. Tu operam nunc impende, ut in utroqve omnes absolvas, ut & civis sis bonus & maritus bonus, sic optimus futurus aliqvando Senator, ista omnia ab una pendent uxore: qvis enim tu, sine illa, civis eris? qvam Reipublicæ partem constitues? Qvis tu olim eris patriæ pater, qvi domi pater esse non didicisti? Qvomodo magnam illam reges familiam, qvi ipse nescis, tantus etiam Philosophus, tantus etiam JurisConsultus, qvid sit familia? Nisi enim fallor, longè aliter Catuli olent, aliter sues. Et frustra scholis sapimus, qvi

in vita ipsa & in partibus ejus regendis desipimus. Vocent alii *Cupidinem cæcum, ego Argum oculatissimum; Vocent puerum, ego* Θεὸν μέγιστον καὶ παμβασιλέα, qvem ipsa *Venus* apud *Maronem magnam suam potentiam* vocat. Atqve is si maximos Philosophos audimus, cœlestis alius est, alius plebeus & sordidus; Ille cum virtute alter cum improbitate conjunctus; Ille sapientibus, hic insipientibus convenit. Illum sapiens non insipienter sub pectore fovet, hunc non injuste appellat Theophrastus otiosæ animæ morbum, qvam ut fugere omnes in tua ætate constituti, ita ambire debemus honestum illum pium sanctumq; amorem, qvo ita ardere te cupio, ut nec curem, qvo ita ardere te cupio, ut nec cupiam magis. Qvare tibi vitæ sociam junge familiæ alicujus nobilioris ditiorisq; præsidium, qvo fultæ fortunæ tuæ latius lætiusq; ferantur, atqve ad illud fastigium ascendant, qvo pervenire auspiciis tuis non potes, sic fructum feres laborum tuorum, feres etiam amorum,

cum

cum tibi per domos lustrabunt parvuli illi *Ascanii & Junonillæ* pulcherrima Thalami tui pignora. Cogita, qvantæ tibi voluptatis sit futurum eos videre virtutum tuarum hæredes, qvi ut in bonorum omnium & nominis tui ita & ingenii bonæq; mentis possessionem vocentur, qvos tu olim in sera ætate constitutus honoribus florentissimos conspicere aliqvando possis ad eadem tecum honorum subsellia sublatos; atqve in spe illa non sum, sed & in ipso tuorum extremo complemento conqviescere. Qvæ omnia ut feliciter tibi eveniant, cum ex animo optem, atqve jam spe præcipiam, si tibi aliam superi mentem dederint Age ergo, cape jam, qvæ à te ipso non capis, meo monitu consilia. Elige tibi & animi coporisq; dotibus conspicuam & familiæ splendore nobilem puellam, qva cum ævum omne exi as, qvæ pulchra faciat te prole parentem, paternasq; tuas Virtutes in liberis non tantùm

tùm ſed & in natis natorum, & qvi naſcuntur ab illis, faciat immortales. Vale.

Epiſtola munerum oblatoria.

Poteſt hæc commodè vel ad *officioſas*, vel ad *Conciliatorias* referri *eadem* enim hic *Enthymemata* adhibentur, *eadem* ἤθη καὶ πάθη; *Amicitiam enim noſtram commendamus, favorem alterius expetimus, beneficium ejus extollimus, & ſi fuere qvædam ſimultatum cauſæ, eas ſublatas cupimus, officia noſtra pollicemur*, qvæ omnia inde reaſſumi poſſunt. Qvia verò munus conjunctum eſt epiſtolæ, ad illud potiſſimum nobis reſpiciendum eſt, ejusq; circumſtantiæ expendendæ. *Damus enim illud vel ſponte noſtra*, ubi nullum inſigne beneficium præceſſerit, ſolummodo favoris obtinendi gratia; atqve tum laudanda eſt perſona, cui donamus, extenuandum munus cumq; dignitate ejus, cui datur, conferendum; vel

vel damus beneficiis invitati atqve tum argumenta qvoqve beneficium laudantia adhiberi possunt, potest & beneficium cum munere ipso conferri. *Damus etiam interdum munus solemnitatis cujusdam gratia*, ut in nuptias, ubi & extenuari munus potest & simul gratiarum actio institui pro invitatione & gratulatio addi. Possumus etiam hic ad formam muneris alludere, si fortassis illud bene ad rem ipsam qvadret, e.g. si in nuptias offeremus vel torqves vel horologia vel Scyphos vel nummos memoriales raro qvodam emblemate & chractere signatos, ex his omnibus pro re nata duci possunt argumenta. Qvod & fieri tum potest, si vel civitas aliqva vel integræ provinciæ vel Principi suo vel in nuptias vel cum inauguratur, offertur. Sed illa infinita sunt & cujuscunqve ingenio relinqvenda. Cæterum hic non parum proderunt rituum antiqvorum collectanea, modo qvis in iis ea modestia versetur, ne obvia qvæqve rapiat aut

nimis

nimis remota & fabulosa vel freqventiori usu eorum nauseam pariat. *Nos e g. suppeditabimus hic Epistolam, qva fœmina qvædam nobilis Viro alicui literato pulveres & aqvas odoratas muneri mittit, & præterea alia qvædam exempla, qvæ illi præmittemus.*

Exemplum I. Epistolæ,

qva aureus torqvis offertur pro Strena Viro illustri.

Dum animus iste exspirat novoq; more solenni vota fiunt strenis hinc inde missis amorem & officia profiteri solemus. Hæc cum & mihi aurem velleret consvetudo, aureum hunc torqvem non in Vulcani sed amorum officina fabricatum velut anni in se redeuntis symbolum offero. Vinculis certè dignus videbaris, qvi in isto fortunæ tuæ culmine omnibus servis & qvasi Magneticis qvibusdam catenis omnes instar Herculis

culis Gallici tibi obstringis. Deniqve cum & me tibi tot beneficiis obligaveris; expedire me qvodammodo posse credidi, si de his qvasi amicitiæ compedibus impedirem, nec aliter magno vel nomine aliqva ex parte solvi posse cogitavi, qvam si ego totus in ære tuo sim, tu aliqva saltem tui parte in auro meo esse possis. Id unum nunc à te peto, ut ne graveris munus hoc exigui qvidem ponderis, nisi ab animo dantis gravius illi accesserit, recipere cum pulcherrimo amicæ adulationis nostræ voto. Ego id precibus à Deo contendo, ut qvemadmodum torqvis hic in se redeundo perennitatis symbolum exhibet, gloria tua perennis, ipsi inferatur æternitati. Vita autem tua qvam bono publico impendis, tot annos numeret, qvot torqvis hic annulis convolvitur. Vale.

Qvæ in Epistola hac continentur *Enthymemata*, potissimum *à munere ipso*, qvod offertur, deprompta sunt, ita tamen, ut qvæ sunt argumenta ἤθικα ipsis

illis

illis circumſtantiis, qvæ à munere dependent, qvaſi implicentur. *Laus Viri* iſtius, ad qvem ſcribitur, item *præſtita beneficia* memorantur. *Votum* deniqve annectitur, qvæ omnia ita ſunt innixa adjunctis numeris iſtius, ut Enthymemata præcipua illa vix appareant, niſi penitius inſpiciantur. Torqves verò aurei conſiderantur, hic 1. *cauſa efficiens* (non in Vulcani ſed amoris officina) 2. *genus* (vinculum,) 3 *comparatum*, annui ſymbolum,) 4. *effectus* (obligare,) 5. *materia*, (aurum,) 6. *adjunctum*. (pondus & pretium) 7. *partes*, (annuli,) 8. *forma* (rotunditas in ſe rediens perennitatis ſymbolum) E qvibus omnibus oratio hæc exſtruitur, ſed ut intelligantur illa, qvæ videntur Convenientiora nec è longinqvo petita.

Exemplum III. Epiſtolæ,

qva pro munere nuptiali offertur Ovſcyphion ſive poculum aviforme.

Ut

Ut ad Deorum ſacra accedere ſine mu-neribus fas eſt, ita nec ad veſtra, qvæ Veneris ſunt & amoris, cujus nunc eſtis Muſtei, Flamines & Sacerdotes. Cum ergò circumſpiceremus commodum munus poculum hoc invenimus cvi figura ab Artifice elaboratum, qvod primis veſtris amoribus non immerito conſecramus. Ab ovis cœnam ordit s fuiſſe Veteres legimus, nos amoris hinc auſpicium interpretamur. Qvod ſi enim ex ovo totam qvandam rerum naturam prodiiſſe & ipſos qvoqve Deos Orpheus docuit. Si ex ovo cœlitus lapſo pulcherrimo Heroas progenitos accepimus præclaro aliqvo Symbolo votis veſtris & deſideriis præludere videmur. Qvod ergo absqve magnifica jactatione dicamus abſolutiſſimum amoribus veſtris omnibus numeris abſolutis donum dedamus, qvod figura ſua ipſum hunc orbem (qvem ovi nomine inſignivit Veterum Philoſophia) exprimit. E qvo olim Perſarum Regem bibere ſolitum

litum apud Athenæum Dimon refert. Neſtoris etiam Ooſcyphion deſcribit Homerus, mundi imaginem repræſentans aureis clavis velut qvibusdam ſtellis transfixum. Jactamus non rei pretium ſed formam, qvæ ſola in hoc munere commendanda vobis ingrata eſſe neqvit, præſertim cum licet primi non fuerimus primum tamen omnium rerum, qvod ante hominem ipſum fuit, imò qvod primo homini originem dat primasq; in negotiis Veneris fert, largiamur. Qvod reliqvum eſt, exoptamus eam vobis, (qvam ovo indicare voluimus) fœcunditatem, qvodq; poculo ſignificavimus, ut perpetuis amorum philtris vos invitetis.

Qvi variis inventionibus ulterius hanc ornare epiſtolam cupit, ſubſidia petere poterit ex elegantiſſima *Oratione* ERICI PUTEANI *de Ovo.*

Exem-

Exemplum III.

Qva Illustris qvædam Fœmina Viro Ornatissimo pulveres ac aqvas odoratas mittit.

Arctioribus me tibi vinculis obstrictam sentio, qvam ut illo officii genere solvi iis me posse sperem. Custodiam tamen ea, qva possum observantia tuum erga me illum favorem nunqvam è manibus dimissura occasionem, qva animum tibi testare gratum possum. Interim tamen ut aliqvando officii genere te venerer fœmina certè non indignum munus Viro an dignum ambigo. Mitto pulveres hos odoratos manu mea, præparatos, qvibus suffitus facere solemus, cum aqvis odoriferis ignis artificio in hanc subtilitatem redactis. Noli ridere exilitatem muneris, qvo Diis interdum litatum est. Ignosces itaqve, si ob divini tui ingenii dotes eo te cultus genere afficiam, qvi Diis immortalibus

indignus non fuit habitus. Latius ea famæ suæ odorem sparserunt, qvam ut vel obesæ vel non emunctæ naris hominibus non liceat subodorari. Ego qvidem in beneficio reputabo, si tibi munere hoc meo non displicuero, existimans, minori me crimine daturam tibi fumos qvam vendituram. Vale.

Exemplum IV. Epistolæ,

Qvæ & Orationis vice esse potest, qva civitas aliqva Principi suo, post præstitum Homagium, insigne muneris loco offert Horologium.

Postqvam urbem tuam ingressus es Domine, animos tuorum ita subegisti, ita præsenti majestatis tuæ luce illustrasti, ut seipsos capere non viderentur ob gaudii eminentiam cum te exceperunt Dominum Clementissimum, tuo se imperio subjecturi, Portas tibi nostras pandimus, qvi

qvi una eademq; opera viam ad favorem tuum affectantibus fores aperis, inqve sacratissima ipsa ejus adyta admittis, ut dum tu apud nos divertis, nos simul apud te divertamus. Claves tibi tradidimus, ut nihil occlusum sit tibi, qvi magnarum virtutum Promicondus te nobis totum reseras. Iidem tibi juravimus, qvam etiam injuratam servassemus: Nisi etiam nostra interesset, ut sacro tibi vinculo obstringeremur, & qvod tibi Dei vices gerenti divina gratia obtigit imperium, nonnisi Deo teste subiremus. Bono esse animo incipimus, postqvam Te qvasi mentem qvandam nobis Parentis tui funere exanimatis redditam intueremur. Qvem cum alii bonis verbis & festivis gratulationibus explicuerint, alii aliis spirantis lætitiæ documentis ostenderint, nos cum innumeris exultantis animi plausibus & votis hac exigui muneris oblatione testatum fecimus. Etenim si Diis qvondam suis imperium ingressuri victimis obtulerunt, meliori,
 ut

ut arbitror, jure Tibi, qvi Dei apud nos vicem geris ad Aras Clementiæ tuæ munera noſtra dedicamus. Non qvaſi donare Tibi ab iis aliqvid poſſit, qvi toti in ære tuo ſunt, & unicè à liberalitatis tuæ fonte omnia hauriunt; Sed ut aliqvam inviolatæ fidei teſſeram ſolenni aliqvo jure deponamus: Qvemadmodum exigui interventu annuli magni ſolent diuturniq; amores firmari. Recipe ergò imperii tui, qvod jam ſuſcipis, ſymbolum hoc Horologium, qvod qvia machina qvædam eſt, qva temporis inditur menſura nulli magis qvam Tibi competere hoc munus credimus, qvi viva qvædam eſt temporum menſura & ſumma tua prudentia præteritorum ſeculorum ita emetiris gloriam, ita futurorum eventus prævertis; ut non præſenti ſolum tempore, ſed & futuro præſenti animo adeſſe videaris: Qvemadmodum Horologium non niſi præſentia temporis momenta ſignat, cum ad futurum devolvitur, uti ad illius motus omnes dies

noſtros pa[illegible]nur, ad æris pulſus operas diſtingvimus, ita ad Juris nutus impellimur ad leges tuas, qvæ nobis à Sceptri tui indice velut diſtinctæ horæ præſcribuntur, vivimus. Qvos exterius veneramur, interiores rotarum amplexus qvoqve tacitè moventur, non ſcrutabimur, à tuæ verò prudentiæ pondere, omnia ſuſtinentur, omnia ſuis orbibus volvuntur, qvod nec leve nimis tardiores, nec nimis grave concitatiores motus imprimet, ſed aurea mediocritate juſtis ad æqvilibrium momentis omnia ponderabit. Et hæc ſingula in mentem nobis venerunt, cum id tibi munus deſtinaremus, qvo velut perfectiſſimo qvodam ſymbolo imperii tibi ob oculos ſiſteretur imago. Ita tibi certè hoc convenire credidimus, ac ſi Jovi fulmen Dianæ jaculum, Apollini laurum, Neptuno Tridentem, Marti gladium dedicaſſemus. Id verò unicè rogatum Te volumus, ne pro munere accipias exiguam obſeqvii noſtri teſſeram. Nos tibi potius

ipſos nos damus, cum majus Tibi donum reddi neqveat qvi Te unum omnium ſaluti mancipaſti.

Epiſtolæ Gratiarum Actoriæ.

In harum Epiſtolarum *Exordiis* vel 1. *excuſare* audaciam ſcribendi, vel 2. ejus occaſionem adducere, vel 3. voluptatem ſignificare, vel 4. ſtatim ab ipſa gratiarum actione incipere ſolemus. *Gratiarum actio* ipſa habebit *argumenta partim confirmantia* vel *à cauſis*, nos ſcilicet ideo beneficium hoc gratiarum actione dignum judicare, qvod ſit honeſtum, laudabile, cum virtute, liberalitate, magnificentia, animi magnitudine conjunctum; vel *ab effectis*, qvod beneficium nobis præſtitum ſit ſummè neceſſarium, plurima maximaq; commoda nobis afferat. Deniqve ſit jucundum; partim *Argumenta amplificantia*, qvæ duci poſſunt

sunt *tum ex comparatis*, ubi ostendemus amicum primum solum inter multos præcipuum fuisse, qvi beneficio nos affecerit: *tum ex adjunctis*, qvod ultro datum, non precibus non aliorum opera impetratum; qvod datum sit non temerè ex casu, sed recto consilio; qvod datum sit à viro summa dignitate prædito, cui nostra accepta libenter feramus; qvod collatum sit beneficium in nos indignos, in nihil tale promeritos, qvorum etiam facultates in referenda gratia sint tenues vel planè nullæ. Qvod datum sit citò, tempestivè. *Conclusio* continebit 1. pollicitationem memoris gratiq; animi cum extenuatione nostrarum virium. 2. Petitionem, ut, qvæ fecit amicus, ea augere velit, & porro nos benevolentia complecti. 3. Votum, ut si nos pares beneficiis esse non possimus, Deus beneficium acceptum compenset Cæterum hæc argumenta ita moderanda sunt, prout rei vel personæ conveniunt, neqve

enim omnia in omnibus & ad omnia adhiberi possunt. Possunt hic etiam in subsidium vocari *Orationes Gratiarum Actoriæ*, qvæ apud Veteres recentioresq́; occurrunt. Eisdem enim argumentis utrobiqve locus est, nisi qvod in Orationibus majori illa apparatu adhibeantur ac fusius ducantur. Spectat huc *Gratiarum actio* Ausonii *ad Gratianum Imperatorem Discipulum pro collato Consulatu*, Mamertini *pro Consulatu ad Julianum*, Pertinacis *pro habito honore ex imperio delato ex Herodiano Lib. 2. Pro magnificis Titulis* Alexandri Severi *ad Senatum Romanum ex Ælii Lampridii Diadomeno. Pro munere Senatorio civi benè de Republica merito delato, Oratio Laureani Ducis Veneti ad Cives ex historia Veneta* Bembi *Lib. 2. Pro collata dignitate eqvestri* Heinsii *ad Venetam Rempubl. Orat. V.* Ejusdem *ad Morosinum Oratio, cum*

ea donatus erat, *VI. Pro Bibliothecario munere ad Curatores Academiæ* Idem *Orat. VII.* Puteani *pro Titulo Professorio ad Senatum Mediolanensem Oratio*, *vide* BOXHORNII *Ideam* 12. qva qvis ob Senatoriam dignitatem Principi suo gratias egit. Talia proponemus nobis exempla, ubi Epistolæ scribendæ Gratiarum actoriæ sunt. Ac occurrunt infinita negotia, in qvibus earum Epistolarum usus est, qvarum exempla à nobis suppeditari non possunt. Nos unum tamen hic subjungemus *exemplum*, *qvod respondet priori, qva fœmina illustris pulveres & aqvas odoratas dono misit.*

Exemplum Epistolæ gratias agentis pro pulveribus & aqvis odoratis.

Afflarunt literæ tuæ me velut numine qvodam, aut ut verius dicam, inspira-

 runt

runt mihi, nescio qvos spiritus divinis illis odoribus, qvibus comitatæ ad me venerunt. Nullæ sunt mihi præ illis vel Hispanorum vel Romanorum delitiæ, qvæ cerebrum mihi potius excutere, qvam illi blandire videntur. Tui verò pulveres illi, tuæ aqvæ purissimo qvidem defecatissimo imbutæ odore, adeò nihil ingrati spirant, sed svavissima voluptate non cerebrum tantum perfundunt, sed spiritus ipsumq; sangvinem roborare videntur. Si felicis Arabiæ aut Insularum Fortunatarum esses Regina, non poterat jucundius à tua mihi manu offerri munus. Natura qvidem prima rerum odoriferarum opifex: Tu verò ejus fœcunditatem arte tua fœcundiorem ditioremq; reddis, easq; in nobiliorem naturam assertas ab omni materiæ fece purgas, & plus qvam ipsum Solis beneficium sidus potest, Dædalii ignis tui beneficio largiris. Tuam itaqve Sol opem imploret, si ad eum perfectionis gradum res illas velit deductas: Tecum con-

consilia ineat, à te caloris temperiem discat, qvæ corporum naturalium solertissima est dispensatrix, iisq; qvasi moderari Genius qvidam videris. Qvam ego scientiam in te tot dotibus virtutibusq; junctam cum religiosè venerer, tuis tibi ipsi muneribus velut Divæ litabo. Tantum enim abest, ut istum mihi cultum tribui à te patiar, ut in te rectiori, ut puto, jure transscribam. Vale.

Subjiciemus hic aliud qvoddam *Exemplum Epistolæ Gratulatoriæ, qva Provincia aliqva vel civitas gratulatur præpotentibus ordinibus Fœderatarum Provinciarum de felici contra Angles victoria.*

Qvod usu venire solet iis, qvi inter insanos fluctuum impetus, procellarum insultus præsentisq; naufragii pericula navigant, si forte derepente nova illis spes affulgeat venti ponant, fluctus subsidant, id nostræ Reipublicæ & Dei immortalis beneficio & vestro auxilio eve-

nit. Qvod vestræ Reipublicæ navem toti orbi fecerat admirabilem & formidabilem, ut nullos fortunæ turbines metuerit, totiq; dominari videretur Oceano confligtari illam cum his periculis voluit, ut iis superatis majus robur sumeret, & contra omnes tempestates firmaretur. Nam sanè obtusioris illum sensus esse oportet, qvi non summa hæc Dei beneficia, qvibus vigere vos in omnium Gentium spem videtur, animadvertat, nec tam à communi mente alienus, qvi non fateatur ab ipsis Fatis manus fuisse injectas hostili ambitioni, ut ipsis illis Oceani fluctibus, vasta illa imperii maritimi (qvod spe jam devoraverant) affectatio submergeretur. Vidit & miratus est orbis universus, qvod qvi mari nos excludere conabantur, qvod omnium Gentium commerciis hactenus patuit, nullaq; pati nec Xerxis qvidem vincula potuit, non contrario solum ignis elemento ac ipsa qvasi indignante natura punirentur, sed & inundationi-

bus

bus affligerentur. Qvæ ſcilicet inexplebilis illa imperii maritimi ſitis non niſi ipſi Oceano extingvi deberet, vel fluctus illi, qvos occupandi animo invaſerant, ne terræ qvidem poſſeſſionem illis qvietem permitterent. Qvoties animo recolligimus veterum temporum memoriam & magnam illam ex Iberia tempeſtatem, cui vel terga ſubduximus vel frontem oppoſuimus; toties animos invictos & præſens illud Numen, qvod eos inſederat, admiramur. Ut his ex initiis difficillimis ſanè (qvod ſolet circa res magnas fieri) primum lacertos movere cœpit Reſpublica: Ita per auream illam libertatem tot hominum ſangvine partam in illud fortunæ culmen aſcendit, ut omnem in ſe irruentem invidiam facilè divino auxilio amoliretur. Nemo vel inter ipſos hoſtes reperiretur, qvi cum ſummum pacis apud Vos ſtudium invenerit, & levibus etiam ſimultatibus eam præferre ſemper, nec niſi ipſa inter extrema arma corripere volueritis.

Qvare nec divinis auſpiciis in cauſa æqviſſima diſerti ſumus. Cujus beneficii tàm à DEO qvam à Vobis Patres patriæ exhibiti tanta eſt magnitudo, ut ad eam celebrandam nos non ſolùm, qvi è tanto civium numero ſumus pauciſſimi, ſed omnis adeo Populus convolaverit. Omnes jam liberum hunc aerem ſpirare ſe credunt, poſtqvam libero iterum mari Dei beneficio, veſtro conſilio uti contigit. Omnes ſalutem publicam veſtra fortitudine redactam agnoſcunt, qvæ non harum tantum provinciarum finibus continetur, ſed ad ipſos alterius orbis incolas propagabitur. Nos Deum veneramur, ut qvemadmodum veſtris auſpiciis victoriam hanc genti noſtræ paravit, ita mox pacem perpetuam longumq; bonum largiatur.

Epiſtolæ Conſolatoriæ.

In *Exordio harum Epiſtolarum* ſtatim πάθη adhiberi poſſunt. Nam vel 1. decla-

clarare dolorem noſtrum poſſumus ex caſu adverſo amici perceptum. 2. Amorem, benevolentiam, ſtudia, officia noſtra commemorare. 3. Vires noſtras in conſolandis aliis modeſtè extenuare. 4. Sapientiam & conſtantiam ejus, qvem conſolari volumus, laudare 5. excuſare intermiſſam ad tempus conſolationem. 6. qvamcunqve ſuſceptæ conſolationis occaſionem indicare. *Enthymemata* pro mitigando dolore ex his præcipuè locis ſumuntur *a) à cauſa efficiente* doloris, qvæ eſt malum, in qvod incidimus. Hoc extenuamus vel ut leve, vel ut commune, non proprium, vel non diuturnum. vel ut à divina providentia profectum. *b) ab effectis*, ſi oſtendamus bonum à malo ortum Gymnaſium patientiæ, ſi oſtendamus eſſe honeſtum fore aliqvando jucundum. *c) ab adjunctis* hominis, ſi oſtendamus vel naturæ humanæ neceſſitatem, fortunæ incertitudinem, vitam ante actam, conſcientiæ bonitatem & vacationem à culpa, dignitatem

fa-

familiæ, ſapientiam, pietatem, virtutesq́ cæteras, qvarum omnium memoriam incutiemus pro mitigando dolore. *d) à comparatis*, ubi conferri inter ſe poſſunt priora bona & præſentia mala, & his illa præferri. *e) ab exemplis* aliorum, qvorum recitatione fiduciam in animo ejus excitabimus. *In concluſione* poſſumus vel breviter repetere argumenta vel adhortari ad animi magnitudinem vel cauſas inſtitutæ conſolationis exponere vel polliceri officia & ſtudia. *Argumenta Conſolatoria* tam varia eſſe poſſunt, *ut mala ipſa*, qvæ in vita humana contingunt, ſunt varia; *utq́ bona*, de qvibus gratulamur, ſunt multiplicia: *Animi, fortunæ, corporis. Hæc* verò iterum in varias ſubdividi ſpecies poſſunt: Ita ex adverſo malo ejus ſunt generis ac ordinis. *Enthymemata* variant ratione argumentorum ſpecialium ac perſonarum; Etiam Conſolatorias ſuper obitu juvare exempla poſſunt *Orationum funeralium*

ac

ac Programmatum funebrium, qvalia edidere BUCHNERUS & SCRADERUS.

Exemplum Epistolæ Consolatoriæ ad Imperatorem Leopoldum de obitu primogeniti Filii nomine Principis vel Civitatis.

Constat *hac Epistola duabus præcipuè partibus: Primò* dolorem testatur publicum, cujus magnitudo exaggeratur à lætitia ex nativitate filii percepta & distributione in singulos ordines facta, ubi causæ doloris recenseantur & effata ejus jacturæ, qvæ ex obitu illo sit metuenda. *Secundò* argumenta Consolatoria adhibet tam communia qvam specialia, inter qvæ præcipuum est, qvod spes novæ prolis adhuc sit reliqva.

Qvo majora animum nostrum portentabunt gaudia, cum primum in lucem ederetur non Austriæ solum, non Germaniæ, sedtotius orbis spes & securitas

ritas Augusta tua soboles, Domine, eò atrociores omnium animos prosternunt, postqvam illas humani generis delicias ereptas nobis sentimus. Qvare nemo nostrum est, qvi non eum diem, qvo Oriens Imperii tui Sol in ipsa auroræ suæ purpura extinctus est, ut atrum & nefastum è fastis expungat. Nemo qvi nos publica illa mala bellorum tempestates, populorum excisiones, urbium desolationes mitiora esse mala existimet & leviora vulnera, qvam qvod hodie universum humanum genus in unius jactura infantis sibi inflictum dolet. Qvasi fulmine qvodam attonitos nos omnes feralis iste nuncius reddidit, omnisqꝫ ista animo percepta lætitia, omnis concepta animo spes uno hoc ictu conturbatæ ac funditus excisæ: ut cum ipsius luctûs magnitudinem animus capere non potuerit; stupor nos invaserit, extremum summi doloris documentum, qvi vix Majestate tua digna loqvitur, & ab omni ingenii vi dejectus fermè infra scribendi

conatum subsistit. Qvot hic mollioris animi sunt, lacrymis parentant omnes. Qvi erectioris solo silentio dolorem profitentur: Qvi cum per vocem non erumpit, in ipsa pectora crudeliter desevit. Vidimus laurus sacratissimo tuo capite excussas imo in cupressus mutatas, pro festivis illis ignibus ardent rogi & faces funebrales accenduntur. Pro vino qvod perpetua scaturigine fluebat, nunc lacrymæ omnium manant, totǫ́ oculorum fontes exhauriuntur. Qvæ cum animo reputamus singula incrementum doloris impetus ab ereptæ voluntatis recordatione, acqvirit, ut non uno modo miseri esse videamur, qvod & AUGUSTUM Principem & cum eo toto bona nobis ablata d lemus. Accedit his omnibus gravissimus Majestatis tuæ mœror, qvi istum, qvem ex filii obitu sentimus, ad nos etiam pertinet, & eo affligit vehementius, qvo propius ad te nostri cura pertinet. Et veremur, dum adsumus, Te Domine consolatu:

laturi, ne consolatoribus ipsi indigeamus: nisi id potius agere velimus, ut communi saltèm qværela communem dolorem sublevemus. Admitte ergò ad animum Domine qværelas nostras, ex nostro tuum leniri dolorem permitte, qvi cum mutuus est, inter reciproca exspirare suspiria solet. Major animi tui est sublimitas, major firmitas qvod qvā levibus consolationum nostrarum fulcris indigeat. Major sanè est, qvam ut à dolore abjectissimo omnium affectu imperari sibi patiatur Imperator; Nec malo etiam magno imparem se ferendo fatebitur Majestas, qvæ cum invictissima animi magnitudine tot sibi hostes subjiciat, non permittit, ut de Triumphatore Triumphos ducat dolor. Qvin si tibi ipsi parcere nolis, Domine, saltem nobis, qvæ tua pietas est, parcas, ne continuus ille mœror tuus omnem illam spem, qvæ nobis reliqva est, & qvæ resarcire sola tanti nominis jacturam potest, intercipiat. Qvare operam des, ne dum magno

luctu

luctu adversus filium pius esse velis, in Patriam impius esse videaris: Cujus cum Pater sis eamq; habeas filiam, vide ne illo tuo exemplo, qvo erigi debebat, conficiatur. Illi verò hic bonæ spei fulgor inter tristitiæ nubila elucescat, fore ut qvi nunc apud superos qvæsivit immortalitatem, Tibi Parenti suo & nobis omnibus inter mortales immortalitatem novo in Successore largiatur.

Sufficiat nobis hoc exemplum, qvi plura velit, conferre potest ea, qvæ suprà notavimus. *Si qvis respondere ad Consolatorias velit, dupliciter id facere potest. Aut enim in Amicorum Consolatione acqviescit, aut eandem ob doloris magnitudinem rejicit.* *In priori Genere* laudamus amicum, ejus beneficium & studium; obseqvium illi promittimus, argumenta ejus breviter repetimus, ac qvantum illa nobis profuerit, indicamus. *In secundo Genere* commendabimus qvidem humanitatem & officium ab Amico nobis præstitum, dolorem verò nostrum

tan-

tantum esse testabimur, ut nullis everti argumentis possit. Corrigere itaqve possumus, qvicqvid in prioribus literis adductum est, eorumq; vel ostendere dissimilitudinem vel inhabilitatem ad dolorem nostrum mitigandum. Dolor verò exaggerari potest, qvem ut levet amicus sua conversatione invitari potest.

Epistola Dedicatoria.

In Exordiis *harum Epistolarum* solemus exponere causas impulsivas dedicati operis vel Scriptionis. *Argumenta* ipsa varia sunt: Nam vel *personas* respiciunt, vel opus ipsum. Si *Personas*, tractari hic laus ejus personæ debet, cui qvid nuncupamus. Enthymemata pro varietate personarum sunt varia. Inprimis extolli debet judicium ejus, de qva scripsisti. Persona nuncupans extenuare se debet, atqve exiguum ea in re, de qva scribit, judicium alterius submittere

re censuræ & ingenio. Qvod *Opus* ipsum spectat, considerabitur illud *ratione causarum impellentium*, ut sunt à rei præstantia, in qva tradenda secuti sumus aptam vel brevem Methodum, noster conatus juvandi discentium studia. Ejus, ad qvem scribimus vel voluntas vel singularis humanitas vel autoritas, vel in eo doctrinæ genere, de qvo scribimus, excellentia. *Per occupationem removeri hic etiam falsæ causæ possunt*, spes scilicet vel lucri vel præmii *Per remotionem etiam causæ, qvæ nos dehortari ab hoc proposito potuerint, ostendi possunt*, ut sunt occupationes ejus, ad qvem scribimus, multæ & crebræ rei ipsius difficultas & magnitudo, varia omnium judicia, ingenii & doctrinæ nostræ tenuitas, vitæ obscuræ conditio. *A Comparatis* item argumenta ducemus; Nam vel in medium proferemus exempla eorum, qvi idem fecerunt, vel collationem instituemus hujus nostri operis cum aliorum scriptis, sed sine ulla jactan-

tia.

tia, ne de noſtris rebus plus qvam æqvum eſt, ſperare videamur. *Conclusio Epiſtolæ* petitionem habeat & pollicitationem; Nam vel rogamus alium, ut de inſtituto noſtro honeſtè ſentiat, ſuaqve vel lectione vel Cenſura dignetur; vel ſtudia noſtra ac officium promittimus, aut aliorum etiam operum editionem. *Exempla* hic varia ſubminiſtrare poſſunt *Epiſtolæ Dedicatoriæ Libris præfixæ*, ſed qvæ ſingulari præ cæteris cura ſcriptæ ſunt; delectum enim inter illas inſtituere oportet. Ac dedi jam ſupra illud conſilium uno volumine colligendi Dedicationes operum à Viris latinæ lingvæ ſtudioſis Scriptorum, qvomodo habemus *Manutianas Dedicationes ſingulari Libro collectas*, PUTEANI *plus qvam centenas, qvæ ex omnibus ejus operibus collectæ ab heredibus ejus Lovanii Anno 1639. ſub titulo*: POMPA PROSPHONETICA SIVE PRÆFATIONUM

NUM SYNTAGMA editæ ſunt. Qvo in libello videre eſt mira Enthymematum & formularum pro diverſitate rerum ac operum Variatio.

Exemplum I. Epiſtolæ Dedicatoriæ,

Qva Viro alicui Magnifico funeralia qvædam Carmina inſcribuntur.

Jamdudum, Magnifice Domine, magnum tuum nomen tacitus veneror, & iſtam mihi occaſionem dari opto, qva publicè inter Clientes tuos homuncionis hujus nomen profiteor; inter qvos ſponte ſua tua me humanitas non ita pridem me recepit. Volui ergo, ut devoti animi τεκμήριον extaret in chartis illis funeralibus, qvibus magnificum

tuum nomen circumponere auſus fui, qva in re ſolertiam meam vide, qvi fœtui huic meo, qvi exanimis inter iſta funera in lucem prodiit, tuo favore, vel ut Promotheo qvodam igne animam inſpirari contendo. Suſcipe itaqve hunc partum noſtrum, Magnifice Domine, vel ut rectius dicam, cadaver. Cui vel animam largire, ut per te vivat, vel ſi exeqvias illi paraturus bonæ famæ balſamum adde, acerrima ingenii tui cenſura primum eviſcerato, ut ætatem qvomodocunqve ferat, ne tinearum & blattarum dentes extimeſcat. Vale.

Exemplum II.

Qva dedicatur Carmen Virgini illuſtri doctiſſimæ, qvæ ſimul Conciliatoria.

Cum

Cum eximias Virorum Clarissimorum virtutes semper soleant venerari, noli mirari illustrissima Domina, qvod literatissimam hujus seculi virginem, inusitato motus exemplo, his compellare literis non erubescam. Cujus audaciæ culpam partim in te ipsam rejicere non dubito, qvæ cum literarum orbem eruditissimis tuis carminibus effascines, meas qvoqve Musas in tui venerationem illo nominis tui splendore pertraxeris. Certè qvasi sydere aliqvo ac Numine afflasti, & nescio, qvo pacto fuit factum, ut idem impetus, qvi Te in Principum laudes rapuit, me in tuas arriperet, qvam exiguo hoc carmine sum complexus, qvod typis tamen excudi voluit amicus meus, qvi cum de summis Tuis virtutibus mihi com-

memoraret, & ſingularem illam humanitatem tuam prædicaret, non dubitavi has obſervantiæ meæ teſtes, literas ad te mittere. Qvare ſi, qvid ea in re abs me peccatum partim officioſiſſimo & ſtudioſiſſimo Tui Viro imputes, partim curioſitati meæ qvæ levioribus non contenta eas, qvæ vulgarium hominum conditionem longè ſupergreſſæ, atqve in illuſtri illo loco poſitæ virtutes omnium in ſe provocant conſpectus proprius colere modeſta ex ambitione expetebat. Ac mereor ſanè veniam, velis nolis Domina, qvi ad laudes tuas ultra ſeculum, ultra ſexum, ultra virum, ultra etiam hominem progreſſas calamum non continui, & qvacunqve etiam poteram ratione tam illuſtri nomini me commendatum volui

de

de favore affectuqve tuo securus: qvem ubi impetravero, non secus ac regno aliqvo beatus, triumphabo. Vale.

Exemplum III. ad Eandem.

Cum perferretur ad nos de amoribus tuis fama non poterant sibi temperare musæ nostræ, qvin Hymenæos felicissimis tuis nuptiis canerent, in qvos Veneres omnes ac elegantias ab elegantissimis ingeniis temporum nostrum effundi oportebat. Sed nos rudi officium hoc carmine præstitimus, qvod per amicos rectè tibi oblatum non dubitamus. Qva in re excusatam habueris nostram audaciam, aut qvaliacunqve studia non improbata

tibi fuisse intelligam, votorum meorum summam videor consecutus. Nec enim diffiteor, eorum me morem imitari, qvi qvod ipsum nomen non habent, ab alieni nominis gloria aucupantur. Qvæ cum orbem literarium longè lateqve impleveris, ut omnibus admirationi sit summa tua eruditio, ignoscere te æqvum est homini, qvi publicis omnium præconiis & votis sua qvoqve conjunxit. Qvam ego audaciæ veniam his literis petendam duxi, præsertim cum commodissima se ad manus mihi daret occasio, qvæ impulit, ut & è nugis qvibusdam meis, qvæ publicatæ non ita pridem sunt, aliqvas ad te mitterem. Vale, Illustrissima Domina, cum Illustrissimo Parente & Marito, qvibus stu-

ſtudia ac obſeqvia mea cupio eſſe commendatiſſima.

Exemplum Epiſtolæ Propempticæ,

Qvæ inter Gratulatorias locum habet, qvæ & Orationis vice poni poſſit ad Sereniſſimum Principem Holſatiæ in Italiam iter parantem.

Argumenta hic Pathetica principem locum obtinent; Exponitur enim dolor, qvem de abitu Principis ſui concepit Patria, interjectis argumentis, qvibus iter diſſvadere poterat. Deinde felix iter vovetur Principi, rogaturq́, ut maturè in patriam redeat.

ABibis ergò hinc, PRINCEPS SERENISSIME, nobisqve qvi tua clementia velut solis qvibusdam radiis illustramur, qvi ab oculis tuis vultuqve pendemus, conspectu tuo fovemur, benignissimam istam faciem, mitissima illa ora subtrahis. Ignosce nobis, DOMINE, si non mollia verba, qvibus de itinere tibi gratulemur, sed duriusculas qvasdam voces amor nobis imponat, qvi ægrè fert tuam absentiam & dolore ob istud tuum consilium non exiguo afficitur, qvem si ad propiora consilia non dedignaveris, solertissimum se præstaret in excogitandis iis, qvæ iter in tam remota loca hac præsertim inclementia anni tempestate inter continuas viarum molestias & difficultates conficiendum disſvadere poterunt.

At

At qvandoqvidem ab instituto tuo nec ipse dimoveri poteris, affectus noster tentavit, qvi eam, qvam tibi ipsi statuisti legem immutare nec potest nec debet, ne vel temeritas arguere prudentissima tua consilia aut suspectam tuorum reddere obseqviorum fidem videatur. Cum igitur spei istius nihil sibi reliqvum videatur, utcunqve impatientibus suis desideriis succurret, felicisqve reditus omine dolorem suum, qvem de abitu tuo concepit, solabitur. Id unicè tantum rogat, SERENISSIME DOMINE, ut metu illo non vano se liberes, qvem habet, ne, dum tu apud cultissimam Italorum Gentem moraris tot cœli soliqve benignitates, tot deliciæ, tot antiqvitates, spirantia monumenta, tot humanitatis officia, qvibus qvasi

vinculis qvibusdam te tenere labo-
rabit eorum hoſpitalitas, Te à Pa-
triæ tuæ finibus diutius avertat.
Qvamvis & illa ſi rectè rem cum
animo putemus, ſuſpicio vana ſit.
Neqve enim Tu perituras illas opes
& peregrinas dignatione tua adeò
dignas cenſebis, ut morari animum
tuum longè majoribus opum deli-
tiis intra ſua penetralia reconditis
asſvetum poſſint. Neqve qvod fie-
ri ſolet, de virtutibus Gentis per-
ſpiciendis ut labores, opus eſt, cum
majores illi in Te venerentur, qvam
ipſi Tibi poſſint tranſcribere, qvi
vel in vultu tuo iſtum Germaniæ
Cymbriæqve Majeſtatis & virtutis
ſplendorem non ſine æmulatione
legunt & animadvertunt. Deni-
qve nemo noſtrum eſt, qvi non
niſi per ſummam injuriam de te
iſtam

iſtam foveri ſententiam poſſe putet, qvaſi Patriæ Tuæ commodis (qvibus præſens magis qvam è longinqvo proſpicere potes) Te ita ſubtrahere velis, ut qvod illis debes exemplum aliorum extare populorum ſaluti malis. Qvare qvantum in te eſt, DOMINE, id dabis operam, ne vel minimæ ſuſpicioni relinqvatur locus, & ubi Te, qvem ex amplexibus noſtris non ſine dolore avulſum ægrè dimittimus, majori gaudio, qvod à feſtinatione ſua capiet incrementa iterum ſalvum felicem incolumem excipiamus.

Epiſtolæ Laudatoriæ.

IN *Exordio* harum Epiſtolarum vel ſtatim ex abrupto laudem alicujus ordimur, vel cauſas laudationis allegamus,

vel occurrimus suspicioni adulationis *Enthymemata* desumuntur (1) *ex causis adjuvantibus* virtutis, qvæ sunt naturæ bona, ingenium excellens, educatio parentum, Institutio Præceptorum, exercitatio. (2) *ab effectis*, qvæ sunt actiones, genuina virtutū munera, à qvibus commendabimus, sed sine adulatione. (3) *ex consequentibus*, ubi narrabimus, qvid ex præclaris actionibus consecutus sit is, qvem laudamus, præmia, honores, dignitates, opes &c. qvibus illum laudabiliter usum esse ostendemus. (4.) *ex comparatis*, ut personam, qvam laudamus, cum aliis Viris Illustribus conferamus. Potest interdum etiam adhiberi *refutatio*, qvæ continet vel excusationem vel responsionem ad ea, qvæ in aliqvo culpari poterant, qvanqvam hæc cum judicio adhibenda, neqve enim semper decorum est, inter laudes alicujus mentionem eorum facere, qvæ reprehendi possent, nisi fortassis sint illa nota. *CONCLUSIO Epistolæ* constat

ſtat aut *petitione*, ſi qvid vel alteri vel nobis velimus laudatione noſtra impetrare; aut *gratulatione*, ſi ſcribimus ad ſuperiorem, aut *cohortatione*, ſi ad parem vel inferiorem ſcribimus. Scribuntur & *Laudatoriæ Epiſtolæ* non ad certas aliqvas perſonas, ſed qvæ ſunt publicæ qvaſi ad teſtimonium de virtute alicujus perhibendum, qvæ ad *Commendatorias* non incommodè rejici poſſe videntur, omnibus enim commendantur, qvi ſic laudantur. Dari ſolent à *Viris Illuſtribus*, *à Collegiis*, *ab Academiis*, qvarum ſingulare Volumen MARTYREMATUM titulo edidit PUTEANUS, qvod vel ſeorſim editum eſt, vel Orationibus ejus ſolet addi: E contrario elogia reprehenſoria academica habemus, qvæ ſolent ſcribi in delinqventes, qvarum formulas inter alia edidit BUCHNERUS & SCRADERUS.

Exemplum Epistolæ Laudatoriæ Juvenis Studiosi.

Qvamvis eximiæ virtuti nullo opus sit præconio, suisqve ipsa radiis splendeat, in oculos tamen hominum ut incurrat, sæpe digito monstranda est: habet enim vel intra parietes privatos, ut subsistere relata virtus possit, in lucem tamen aliqvando protrudere eam debet seria ac amica commendatio. Inter illos merito suo à nobis commemoratur eximius doctissimusq; Juvenis N. N. qvem qvamdiu in hac Academia vixit (vixit autem integro biennio) plurima ingenii & bonæ mentis specimina edentem vidimus, ut multi habuerint qvòd inviderent aliqvi, qvi imitarentur. Neqve enim illi (qvi plerumqve mos Juventutis esse solet) ætatis lubricum inter popinas consumptum non turpibus im-

immersum voluptatibus fuit, aut otio aut vanis oblectationibus tenebatur; Prælectionum publicarum non parcus aut infreqvens cultor fuit, & Doctorum suorum amores facilè in se pertraxit. Nunqvam à bona mente aberrantem vidimus, nunqvam contentionibus, duellis, rixis addictus pulverem literarium arenæ gladiatoriæ miscuit, & ut paucis multa complectar, talem se gessit, ut optimi qviqve in votis habent. Et hæc qvidem omnia tanta sunt, ut omnium mereantur affectum, mihi sanè æqvissimum visum fuit, ista scriptione hac publica testificare, cui hæc visa sunt futuris temporibus omnia auspicatissima, ut non semel gratulatus fuerim Patriæ de isto alumno, familiæ de insigni ornamento: Horum ego me testem his literis profiteor omnibus & singulis egregias Juventutis optimæ dotes offerens, justo pretio æstimandas, qvi non alium hunc nostrum invenient, qvam

qva-

qvalem nos sistimus eruditum, probum, pium, ut neqve nos verba dedisse nec ille vota fefellisse videatur.

Epistolæ Reprehensoriæ.

UT Laudationum ita & Vituperationum materiæ sunt Personæ, Res, facta & dicta. *In Vituperiis Personarum exordiri* ita solemus Epistolam, ut (1) causam institutæ Scriptionis exponamus. (2.) Occurramus sinistræ suspicioni, ne qvid videamur affectui largiri. (3.) qværela utamur. ENTHYMEMATA *sive* ARGUMENTA *reprehensionis desumuntur vel à causis vel à circumstantiis vel testimonio & judicio aliorum.* *Conclusio* constat vel *a) adhortatione*, ut abstineat à tali vitio, vel *b) præcisione & rejectione*, vel *c) excusatione*, vel *d) reprehensione* ab animo benevolo profecta. Hæc qvidem generalia sunt Enthymemata, cum ad

ad Perſonas ipſas reprehenſorias literas ſcribimus; Cùm ad alium, ſed tertio qvodam, ſcribimus, non opus eſt iis argumentis Ethicis uti, qvibus in hac Epiſtolarum ſpecie. Cœterum *& facta* reprehendere poſſumus, ſive ad alium de iis ſcribamus, ſive ad ipſum, qvo cum nobis res eſt, Atqve hæc iſta generalia argumenta & Enthymemata, qvæ in Rhetorum libris reperiuntur, adhiberi poſſunt; Specialia ſuppeditabunt res ipſæ. Subjungere his poſſumus *Epiſtolas Exprobratorias*, *Qvarulas & Comminatorias*, qvanqvam enim & illæ qvædam è Genere Judiciali mutuentur, ſumma tamen illarum in *reprehenſione facti* alicujus conſiſtit, cui Reprehenſioni *πάθη vel excandeſcentiæ vel commi-nationis* &c. addita diſtinctionem illam faciunt.

In EXPOSTULATORIIS itaqve LITERIS vel *de neglecto officio vel injuria illata* expoſtulamus, & qvidem

IN

IN INITIO harum *vel* qverelam instituimus ex abrupto *vel* occasionem & causam institutæ Scriptionis docemus. ARGUMENTA sunt vel *docentia* vel *amplificantia*, petita *à comparatione acceptorum & neglectorum officiorum, à meritis insignibus, à persona, cui injuria infertur, dignitate, à multis promissis, à testimoniis aliorum, ab occasione data, à calumniis malevolorum, ab inutili, ab inhonesto.*

In CONCLUSIONE dehortamur amicum ab iterato crimine, petimus vel omissi compensationem, vel commissi correctionem, vel acrius aliqvanto minamur vel accusationem nostram mitigamus, vel officia nostra, si in gratiam redierit, pollicemur. Ad has cum Resp. vel excusamus nos, vel defendimus; *Si excusamus*, *vel* ad confessionem *vel* deprecationem simplicem confugimus, *vel* culpam in imprudentiam, necessitatem, factam rejicimus, aut in alios

alios transferimus. Si *rectè factum defendimus*, utimur *Locis causarum testimoniorum, comparatorum, exemplorum.* Generaliter *in Exordiis harum Responsoriarum*, significamus dolorem & accusationem 'amici reprehendimus institutam expostulationem, obtestamur, obsecramus.

Enthymemata ipsa, qvæ ex Genere Judiciali petita, habent *vel simplicem facti negationem, vel remotionem culpæ in alios*, imò in accusatorem ipsum, in necessitatem, occupationes; *vel defensionem absolutam*, cujus argumenta petenda sunt ex locis, qvibus facta vel laudantur, vel justificantur, Genere vel Demonstrativo vel Judiciali. *In Conclusione vel petimus*, ut in bonam partem interpretetur amicus, qvod factum est, *vel mitigamus* aut excusamus acerbitatem responsionis nostræ, *vel pollicemur* ea, qvæ amicus reqvirit, *vel amorem vel benevolentiam testamur.*

QVÆ-

QVÆRULÆ EPISTOLÆ, qvibus de noſtris malis qværelam inſtituimus, & culpam vel in nosmetipſos vel in improbitatem adverſariorum conferimus, *incipiunt* vel ab occaſione inſtitutæ ſcriptionis, ut generales Epiſtolæ inprimis, qvæ res odioſas continent, vel laude ejus, ad qvem ſcribimus, vel indignatione.

Enthymemata ſumuntur ex loco cauſarum & Adjunctorum. *Cauſa* ſunt vel *efficiens*, ubi oſtenditur eſſe qvid factum ab altero non caſu ſed conſilio contra bonos mores; vel *finalis*, eſſe ideo factum, ut lædatur noſtra vel vita vel fortuna vel fama. *Adjuncta* conſiſtunt in circumſtantiis perſonarum rei, temporis. *Perſona* conſideratur *noſtra*, cum lædimur, qvi tamen propter merita defendi debebamus; *Aliorum*, cum læduntur, qvorum magna eſt autoritas, aliorum ornamentum & præſidium: *Ejus*, qvi lædit, ſi ſit vel amicus

noſter

noster vel discipulus; Graviores enim sunt ab illis qvam ab inimicis & ignotis injuriæ. *Modus* est, cum non vulgariter sed raro qvodam contumeliæ genere affecti sumus & re ipsa describitur factum sive contumeliæ, qvod sit inhonestum, obscœnum turpe.

Tempus considerabitur, si tunc præcipuè læsi sumus cum alia & forte graviora impenderent pericula cum amicorum ope & præsidiis potissimum egeremus.

Conclusio absolvi potest *vel figuris aliqvibus patheticis*, comminatione scilicet vel exclamatione; *vel petitione aut adhortatione*, ut amicus noster in communi malo opem ferat, eosq́ etiam ad se pertinere putet, aut ulciscatur. His si *respondebitur vel* dolorem nostrum è literis perceptum significabimus, *vel* ejus qverelas reprehendemus, *vel* amorem nostrum ac benevolentiam deprædicabimus.

Cæ-

Cæterum *Enthymemata* non adeò hic reqviruntur, niſi qvod *vel* ſtudia noſtra declaremus & benevolentiam, *vel* dolore amici ita affici, ut noſtro teſtemur injuriam ab aliis illatam, *vel* mitigemus excuſando, *vel* conſolemur argumentis è Genere Conſolatoriarum Epiſtolarum petitis, *vel* invehamur ipſi in calumniatores & malevolos.

Concluſio conſtare poteſt *adhortatione*, ut *vel* animo ferat, *vel* judicio experiatur, *vel* falſa non credat *vel* vana contemnat.

COMMINATORIIS EPISTOLIS terrorem incutimus iis, qvi nos vel injuria affecere vel improbi qvicqvam in nos moliti ſunt. In harum *Exordiis* ſtatim ut fieri in Epiſtolis, qvæ cum affectu ſcribuntur, ſolet. Factum ipſum cum qværela & indignatione præponitur. *Argumenta* ſumuntur ex iiſdem Locis, qvibus utimur in Qværulis. *Concluſio*

repe-

repetit comminationem, & si opus est, adhortationem. *Responsoria* in *Exordiis* repetunt argumentum, sed vel ex abrupto incipiant, si acerbius scribere velis. Huic subjungitur refutatio, qva *vel factum ipsum negamus*, ac proinde incivilitatem literarum exprobramus; *vel si id negare* non poterimus, minus tamen injustas atqve bono viro indignas ostendamus, eas tamen non magnoperè à nobis metui. Potest & reprehensio qvædam ejus, qvi literas scripserat institui, qvod scilicet sit turbulentus, præceps, rerum ignarus, ad vitam benè gerendam ineptus. Objici etiam, si res & persona efflagitaverit, alia facinora ab ipso perpetrata possunt. Potest & addi comminatio de vi rapiendi in judicium, de vi per vim repellenda. Atqve ita cum turbine absolvi hæc solent. Si modestius agere velimus, *Conclusio* poterit constare *adhortatione & voto*; Nam & eum, qvi minatur, adhortamur, ne
qvid

qvid contra honeſtatem, juſtitiam, pietatem faciat; ac ſimul DEUM rogamus, ne conſilia, qvæ adverſarius agitat, vel ipſi adverſario vel Reipublicæ periculoſa ſint.

Ad *Literas Reſponſorias* conducent omnis Generis *Scripta Satyrica* tam Poetica qvàm ſoluto ſermone ſcripta, è qvibus colligi poſſunt argutiora, qvibus mirè tales literas ornabimus.

Elegans hic nobis Exemplum ſuppeditabit BLOTTISANDERUS, ſeu qvod verum ejus nomen BORRICHIUS *in Deuſingio ſuo* ἑαυτοντιμωρουμένῳ, in qvo eos, qvi à Deuſingio refutati qvondam ſunt, Epiſtolas Apologeticas ſcripſiſſe finxit, qvos ipſe eorum nomine confecit mirè elegantes & mordaces.

Exem-

Exemplum Epiſtolæ ad Virum qvendam Clariſſimum ſcripta, qva invehimur in Plagiarium qvendam.

SImul ac nomen tuum conſpexi literasqve manu tua exaratas, vehementer lætatus fui, qvod videre te in publico celeberrimoqve munere noſtri non immemorem intelligebam; Ut enim gratæ ſemper ſunt amicorum literæ, ita profectò tuæ fuerunt, qvas poſt meum è Roſtochio diſceſſum à Te non videram, qvibus gratisſimæ converſationis memoriam in animum

mum reducis. Qvare ſuccenſeo tibi propemodum & iraſcor,

Sed qvantum iraſcantur amantes!

Qvod tanto conatu ac tam immodicis mei laudibus, ambire amicitiam meam modo volueris, qvam tot ab tannis partam poſſidebas. Multum verò te amo ob iſtud qvalecunqve famæ noſtræ ac exiſtimaionis ſtudium, maximasqve ago gratias, qvod celare me hominis cujusdam veſtri facinus volueris. Ut legi, ut vidi! neqve enim indignatione mea dignum cenſebam ſtuporem tantum, qvo ſibi rapere auſus eſt illa, qvæ vicina ſcribuntur ac in omnium manibus verſantur; ut mirer profectò illi aliqvam

latitandi ſpem fuiſſe reliqvam. Is, qvi, niſi fallor, Domino tuo à manibus tuis manus ſuas an oculatas an picatas Veneri noſtræ oculatæ & Cupidini Argo immiſit, cujus tamen oculos Mercurius ille non conſopiet aut fallet, ſtatim ut inſpexi chartas, ex ungve non ut ille Leonem ſed antolicum exiſtimavi jam ante eo nomine mihi cognitum; In eundem enim Milvum ciconia noſtra incidit, cui ante multos annos jocoſo carmine parentaveram, ut enim Cupidini noſtro Argo oculos eruit, ita hujus ille plumas non tantum detrahere, ſed deglubere propemodum auſus eſt, ut qvondam ejus ornares pirrulam. Ut verò mireris hominis ſtuporem à me ipſo per amicum fraudis hujus

ignarum carminis exemplum impetravit. Nec tacitus furtivis pasci pabulis potuit iste corvus, miserat enim ad amicos pauca exempla, hoc qvasi specimine triumphans, unde casu qvodam ad manus meas devenerat. Pleraqve omnia è meis rapta, qvæ tamen ita argumento suo conveniebant, qvam si humano capiti cervicem pictor eqvinam jungere vellet, adeo ineptè in pirrulam qvadrabunt, qvod ego de ciconia scripserim. Hæc fortè illic obtinendi muneris auspicia prima fuerunt, ut tu augurabaris, qvi scribi nomen, tueri non potuit, nisi pennas ciconiæ nostræ non subtraxisset. Ego tum acerbius in illum scripsissem, nisi deprecatus fuisset amicus meus, qvi olim

fami-

familiariter illum noverat. Sed ne nunc qvidem Satyra dignum judico, qvem sua facilè ulciscetur imprudentia & βλέποντα illa invenere oculata martyria, qvæ ob omnium oculos versantur, neqve enim certior de illo vindicta sumi potest, qvam si multa libri mei apud vos extent exemplaria, qvorum aliqva commoda occasione transmittam. Idem mihi ultionis genus in altero carmine placet, cujus editionem propediem curabo, atqve ad vos amandabo. Qvod reliqvum est, rogo te, ut tum mihi favorem serves perpetuum, utramqve ubi opus est, causam agendam tibi sumas. Ego hunc furunculum similesqve alios πολλὰ κλαίειν jubeo. Te vero πολλὰ χαίρειν. Vale.

Epistola Petitoria.

EST ea vel *directa* vel *indirecta*. In ILLIUS *Exordio* 1.) laudamus eum, à qvo petimus aliqvid & eas præcipuè virtutes, qvarum instinctu petentibus facile aliqvid largimur. Si pecunias petas, liberalitatem, si munus petas aut commodari desideres, aut simile qvid velis, laudabis humanitatem, autoritatem &c. hic enim argumentis Ethicis viam sternimus ipsi petitioni. 2.) Excusare possumus importunitatem vel audaciam nostram. 3.) Revocare in memoriam possumus amico promissa nobis antea facta vel nostra in eum merita. *In* HUJUS *initio* statim occurrere possumus tacitæ objectioni transfe-

ren.

rendo culpam in caufas externas cum neceſſitate vel alia. *Narratio* breviter petitum exponit. *Propoſitio* DIRECTÆ petitionis rem ſimpliciter & breviter proponit: *In* INDIRECTA vel voto vel excuſatione modeſta vel brevi aliqva qverela prius præmiſſa, petitio ipſa ſubnectitur *Enthymemata directe petitionis* ſumuntur *à cauſa impulſiva* deſumenda ex Locis Generis Deliberativi, *honeſto*, *utili*, *neceſſario*, *jucundo*, *facili*. *Indirectæ verò petitioni* hæc argumenta non conveniunt, ſed illa potius, qvæ à perſonis ipſis ſumuntur, ſcilicet reducendo in memoriam promiſſa amici noſtri propenſionem teſtando, beneficia noſtra commemorando, modeſteqve laudando, ne expro-

brari videantur, amicorum qvoqve curam & sollicitudinem memorando. *Conclusio* hujus Epistolæ si petitio fuerit *directa*, iterabit petitionem, gratumqve animum pollicebitur. Si *indirecta* sit πάθη sunt in subsidium vocanda; Nam *vel* excitandus est affectus misericordiæ, *vel* spes emolumenti futuri injicienda. *Illo* utemur in rebus, qvas afflicti vel pudore retenti petere directò non audemus. *Hoc* utemur apud homines lucro insidiantes, aut qvando ipsi virtuti nostræ non confidimus vel rem omninò non laudabilem petimus. *Cum respondemus*, *dupliciter* id facimus; nam *vel annuimus petitioni vel eam rejicimus*. *In primi Generis Epistolis* IN EXORDIO primum literas nobis fuisse

red-

redditas significamus, argumentum earum repetimus oblatam nobis gratificando amico facultatem.

PROPOSITIO annuit illis qvæ petit amicus. ENTHYMEMATA, qvibus ostendimus id, qvod facimus jure nos facere, desumenda sunt *è duobus Locis causarum & adjunctorum*; *primò* qvod benè sit de nobis meritus, *secundò*, qvod propter doctrinam, virtutem, merita in rempublicam vel majoribus etiam dignus sit præmiis, qvam illis qvæ petit, qva illi libenter gratificamur. *Tertiò*, qvod res ipsa, qvæ petitur, honesta sit, utilis tam publicè qvàm privatim neq etiam adeò difficilis.

In CONCLUSIONE repetere possumus pollicitationem,

aut votum addere, ut omnia amico prosperè cedant.

Ad secundi Generis petitorias ita *respondemus*, ut *a*) *in Exordio* multa magnificè dicamus de nostro in amicum studio & propensione. *b*) Dolorem nostrum testemur, qvod animo gratificare non possimus.

Narratio etiam addi potest, si sint qvædam circumstantiæ prolixiores, qvæ impediant, qvo minus locus petitioni detur.

Propositio fiet vel Petitione vel Dehortatione, vel etiam levi increpatione. *Enthymemata* desumantur vel 1. à rei difficultate, vel 2. à virtutum nostrarum tenuitate, vel 3. ab inhonesto, vel 4. ab incommodo.

do. Refutari etiam contraria possunt.

Conclusio dehortationem repetat ac officiorum nostrorum delationem in omnibus præterqvam in præsenti negotio pollicebitur. Exempla Petitoriarum Epistolarum crebria sunt & freqventis usus, omnibusq́; occasionibus applicanda, præcipuè in Lingva Germanica atqve in rebus forensibus, ubi varia libellorum supplicum genera, qvæ pro ratione personarum perscribentium & ad qvas scribitur, variationes suas recipiunt, de qvibus consulendus SPATIUS in der *Secretariat*-Kunst præcipuè *Tom. IV.* ubi multa habentur exempla usui futurà iis, qvi vel in aulis principum vel in foro versantvr. Ad illa autem

hic descendere nostri non est instituti. Apud *Epistoliographos veteres Latinos & Recentiores* innumera Exemplorum sylva est, unde peti possunt, qvæ in rem nostram sunt. Qvandoq; verò hæc sortiuntur Enthymemata specialia à rebus ipsis: Sic aliter instituuntur *Enthymemata, cum honores ambiuntur, aliter cum Virgo aliqva ambitur, aliter cum pecunia aut beneficium aliqvod ab homine egeno expetitur*; Singulis enim generibus sua sunt ἤθη & πάθη præ cæteris adhibenda, in qvibus judicio opus est, qvæ exempla Clarissimorum, si legantur, facilè nobis rem parabunt. *Ideas aliqvot Petitoriarum Epistolarum* SCRADERUS *inter Dispositiones Epistolares* habet. Si qvis petere honores Academicos velit,

lit, exemplo illi erunt OCTAVII FERRARII *formulæ ad capienda Doctoris Insignia.*

Epistolæ Communicatoriæ.

PErtinent ad *Svasorias* & *Dissvasorias*; Consultamus enim in iis cum amico super re aliqva vel facienda vel omittenda. *In Exordio* 1. Causa scribendi proponitur. 2. Rei difficultas. 3. Laus amici, cum qvo consultamus. 4. Modesta excusatio. *Enthymemata* petuntur ex iis locis, qvibus aliqvid svadetur vel disſvadetur. *In Conclusione* a) Consilium petimus, b) officia & gratum animum pollicemur, d) prudentiam amici laudamus. RESPONSURUS *vel faciendum vel*

omittendum ſvadet, *vel rem in medio relinqvit*.

PRIORI CASU commendamus benevolentiam amici. *Propoſitio* vel conſilii approbationem, vel improbationem continet. *Enthymemata* ex iisdem Generis Deliberativi Locis deſumuntur. *Concluſio* benevolentiam noſtram commendat aut officia offert, aut ſententiam noſtram tantum repetit.

SECUNDO CASU ſtatim *in initio* hortabimur amicum, ut ipſe qvod ex uſu ſit proſpiciat, & laudamus ejus prudentiam, at nos extenuamus.

Propoſitio dubitationem noſtram exhibebit ac *Enthymemata* in medium proferet per contentionem qvandam ac comparationem inter ſe conferenda.

Con-

Conclusio iterum dubitatione ac promiſſione conſtabit, ut cum nobis res ipſa non liqveat, amicus qvod viſum fuerit, ſtatuat.

Epiſtolæ Mandatoriæ.

AD *Genus Deliberativum* pertinere qvadantenus videntur, ſolentqve inprimis à ſuperioribus ad inferiores ſcribi, vel à paribus ad pares. *In initio* ſtatim indicamus occaſionem negotii benevolentiam erga Amicum, teſtamur ejus dexteritatem, ac fidem laudamus; *Proponet* dehinc negotium ipſum, vel directè vel obliqvè. *Enthymemata* petantur è *circumſtantiis attributisqve perſonarum, locorum, rei*, ac ſi opus

opus Generis Deliberativi loca in subsidium vocantur.

Conclusio repetet mandatum cum adhortatione, ut diligenter rem expediat.

RESPONSURUS *si annuat*, breviter officia studiaqve sua pollicebitur, seqve felicem eo negotio expediendo prædicabit. *Si non annuat*, causas impedientes exponet, dolorem super illis suum testabitur, in cæteris verò summam fidem pollicebitur.

Sunt porrò *alia qvadam Epistolarum Genera*, qvæ commodè sub classes causarum non possunt referri, qvæ potius *ad literas familiares sive Miscellaneas* referenda, de

qvi-

qvibus superius prolixè egimus, multis exemplis in medium adductis.

Sunt Ejusmodi DENUNCIATORIÆ, qvibus certior de aliqva re fit amicus.

DISPUTATORIÆ, qvæ pro argumento rerum Enthymemata sua inveniunt in Locis vel Rhetoricis vel Dialecticis.

JOCOSÆ, qvibus nulla adeò posita lex est, liberius enim vagantur atqve miscent omnia inter se seria & jocosa. His plenissimæ sunt CASPARI BARTÆI & FRANCISCI MARTINI *Epistolæ Ænigmaticæ*. Qvibus ænigmatica scribimus, ne intelligant illi,

illi, qvorum non intereſt, *cujusmodi in Epiſtolis Cicero* multa dedit; Ad qvas licet referre illas, qvæ per *artem cryptographicam* ſcribuntur.

Tantum!

